De emendandar... Senecae tragoediarum rationibus ...

Bernardus Schmidt

PATRIS · OPTVMI · MEMORIAE

SACRVM

Digitized by Google

Digitized by Google

I

Decem illae tragoediae quae nomine Senecae circumferuntur cum plurimis olim vitiis contaminatae fuissent, Joannes Fridericus Gronovius ope maxime codicis Florentini in recensendis atque emendandis his fabulis tam accurate elaboravit, ut cum omnino orationem multo rectius constitueret, tum centum amplius locis, qui miserum in modum antea depravati ab omnibus superiorum aetatum criticis frustra temptati essent, veram poetae manum solus detegeret. sed idem neque subsidiis illis quibus instructus erat, neque qua pollebat scientia et iudicii subtilitate eo pervenit (quo a nemine mortalium perveniri potuerit in ullo antiquitatis monumento emaculando), ut aut nullum aut perparvum negotium aliorum industriae relicum faceret. qui vero post Gronovium usque ad nostram aetatem extiterunt Senecae tragoediarum editores (sunt autem numero pauci), ex eis Fridericus Henricus Bothius solus paullo laudabilius in illarum emendatione studium posuit. itaque si cum cura atque intenta oculorum acie singula horum carminum perlustraveris, non pauca profecto etiamnunc superesse reperies quae aut palam falsa aut magnis dubitationibus obnoxia sint. sed omnino nihil in hac re profici poterit, nisi ante omnia diiudicatum erit librorum manu scriptorum, qui plurimi extant, quaenam

Digitized by Google

sit certa inter se ratio. eorum autem duo discernenda genera sunt. ex altero est codex Florentinus membranaceus, omnium quibus hae tragoediae continentur librorum longe integerrimus, quem Florentiae in bibliotheca magni ducis primus inspexit inspectumque summo studio excussit J. F. Gronovius. qui codex quot locos in ceteris de quibus constat libris omnibus vel manifesto corruptos vel in peiorem partem mutatos plane sinceros exhibeat aut quam fideliter aliis locis, sicubi sive ipse sive is a quo descriptus est liber a vero deflexit, ipsos errores exprimat, unde mendorum deteriores libros occupantium originem facile perspicias, aut quorum versuum loco suo remotorum ordinem reconcinnet aut quos aliis personis rectius adsignet: has similesque bonitatis notas enumerare non mihi in animo est. sed hoc quoque singularem eius libri praestantiam non minime conprobat, quod harum fabularum ultima, Octavia praetexta, quae, ut multis documentis intellegitur, neque a Lucio Annaeo Seneca philosopho conscripta est neque omnino eundem quem reliquae novem tragoediae auctorem habet, in uno illo Florentino tota deest. unde iam J. F. Gronovius recte argumentatus est „transcriptum esse eum codicem de exemplari cui Octavia nondum adcrevisset."

Ad alterum autem genus omnes reliqui quotquot adhuc praeter Florentinum inspecti libri sunt pertinent, in quibus quod una cum ceteris tragoediis etiam praetexta illa locum habet praeter multa alia certum propriae et communis originis argumentum est. attamen ei quoque libri ut fide multo sane inferiores sunt quam Florentinus (id quod facile intelleget qui vel unam tragoediam secundum artis leges examinaverit), ita in sin-

Digitized by Google

gulis rebus saepe magno opere inter se discrepant. e quibus meliores ratio iubet eos a nobis iudicari qui saepius cum Florentino codice consentiant, quales prae ceteris sunt liber Melisseus, quem a Paullo Melisso dono acceperat Justus Lipsius, et Moguntinus Martino Antonio Delrioni a collegio societatis Jesu Moguntino commodatus, quamquam hic posterior ab ipso Delrione „prorsus recens“ dicitur; quibus tertius addi potest Vossianus alter ab J. F. Gronovio conpluribus locis conlatus. quos libros errabit qui ad priorum novem fabularum emendationem nihil habere momenti putaverit. nam ne hoc premam, quod eorum locis difficilibus cum Florentino consensus ad huius auctoritatem confirmandam valet: at sicubi ipse liber optimus a via aberravit vel prima eius manus obscurata est, illi non ita raro veram scripturam statim detegunt aut eruendae ei serviunt. accedit quod in Hercule altero codex Florentinus non nullis eisque sat gravibus lacunis affectus est, quas alterius familiae codices expletas habent. veluti inde a versu 410 triginta tres senarii in Florentino omissi sunt, inque eodem a versu 1564 desideratur versuum Sapphicorum magnus numerus. in his igitur versibus emendandis alterius familiae meliores libri unici duces nobis sequendi sunt. multo vero plus utilititatis ex eis libris adparet ad ultimam fabulam redundare, quam in Florentino nullam esse vidimus; cuius quidem emendatio vereor ne nihil sine illorum pleniore cognitione profectura sit. itaque iam huius fabulae gratia optandum est ut inveniatur qui tres illos quos nominavi codices aut certe ex his tribus rursus longe optimum Melisseum (quem Lovanii latere suspicor) accuratius quam adhuc factum est conferat. reliquis enim facile carebimus.

Digitized by Google

Talis igitur cum sit singulorum codicum inter se ratio, si via et arte rem gerere volumus, in recognoscendis novem prioribus fabulis hanc nobis principalem legem conservandam esse adparet, ut ne a codice Florentino sine summa necessitate discedamus. quam legem recentiores Senecae tragici editores, Henricus Bothius et Torkillus Badenus non ita perspectam habuerunt ut constanter tenerent. qui quamquam praestantiam Florentini non poterant non adgnoscere, tamen aliquotiens magis obscuro quodam sensu quam locupleti ratione ducti illius lectionibus aliorum multo inferioris notae librorum scripturam praeferendam esse censuerunt. sed enim ne de ipso quidem Florentino tam plene adhuc tamque perfecte quam summa eius auctoritas postulat relatum nobis est. quod salvis J. F. Gronovii meritis dictum volo. etenim hic vir egregius etsi et ipse illum librum permagna cum diligentia perscrutatus est et Nicolai Heinsii qui eundem postea laborem susceperat excerpta in suam rem convertit: tamen in tanta enotandarum discrepantium ab antea vulgatis lectionum multitudine fieri non potuit quin non nulla aut casu omitteret aut quia non in rem fore putabat sciens praeteriret. e qualibus pauca iam in Nicolai Heinsii Adversariis deprehendimus, pauca alia Bothius in lucem protraxit ex schedis quibusdam Jacobi Gronovii manu exaratis, quas ille cum editionem Senecae tragoediarum parabat ex Dietzii bibliotheca (quam postea bibliothecae regiae Berolinensi inlatam esse constat) acceperat.

Adparet igitur Florentinum iam pridem denuo et quidem quam subtilissime excutiendum fuisse. quod negotium postquam audivimus nuper tandem ab Ottone Ribbeckio susceptum esse, futurum auguramur ut ea

Digitized by Google

ratione, qua emendari debere veterum scripta nostrae potissimum aetatis viri summi docuerunt, etiam hae poesis Latinae reliquiae paullatim emendentur. quas ut sane cautum imus ne inepte laudare velle videamur, ita ne eis quidem adstipulandum putamus, qui elegantiam nimirum ostentantes in his fabulis elaborare vix operae pretium esse ducant. qui si virtutes in his quoque poematis conspicuas a vitiorum farragine distinguere et ut ita dicam flosculos carpere aut nolunt aut nequeunt: at linguae Latinae pleniorem scientiam num negabunt et posse et debere vel e talibus fontibus repeti? itaque horum nos fastum nihil curabimus.

Omnem autem artem criticam in Senecae tragoediis factitandam ab accurata rerum prosodiacarum et metricarum observatione proficisci eaque tamquam fundamento niti debere equidem persuasum habeo. quae quidem res cum a plerisque plane neglectae, a nemine satis plene et subtiliter tractatae essent: factum est ut lectiones probarentur vel etiam coniecturae proferrentur ab illarum rationibus statim reiectaneae. qua libidine gliscente quatenus perveniri possit nemo magis quam Badenus ostendit, qui in editione primae fabulae speciminis loco anno 1798 publicata incredibili levitate et rei metricae omnis ignorantia ad turpissima commenta delapsus est. itaque hanc ego partem quam diligentissime facere potero indagare hincque aliquod certe emendationis praesidium petere constitui. quo in proposito si recte progrediar, simul quaestioni illi perdifficili et lubricae quae in auctore novem priorum fabularum constituendo versatur (ultimae enim propriam originem esse nunc nemo erit qui neget) paullum me ita profuturum spero, ut explorata versuum conponendorum in

Digitized by Google

singulis fabulis aut constanti aut diversa consuetudine uniusne hominis illae an conplurium opera videantur ostendam.

II

Cum igitur primum ad res prosodiacas ordine enarrandas adgredior, earum permultas bene sentio ita conparatas esse, ut non nisi a legibus metricis infra exponendis explicatum habeant. quapropter, ut inutilibus molestisque repetitionibus supersedeam, non nulla hic breviter tangam, quorum in metrica disputationis meae parte, quam huius quasi interpretationem esse volo, uberius rationem reddam. ut autem leviora quaedam primum absolvam, a nominum substantivorum in *ius* vel *ium* exeuntium casibus genetivis ordiar. qui cum ab antiquioribus, ut Richardus Bentleius ad Terentii Andr. II I 20 primus observavit, constanter *i* simplici formati essent, Augusti principatu ad finem vergente geminata vocali efferri coepti sunt. itaque in Senecae quoque tragoediis valet novus mos, sed non ita tamen, ut breviores genetivorum formae omnino exclusae sint. quae ubi locum habeant non inutile erit singillatim enumerare. nam in hac quoque re a quibusdam peccatum esse video. longe autem maxima earum pars in senariis iambicis invenitur, et quidem *arbitri* in Medea 137*); *coniugi* in eadem 481 et in Agamemnone 155; *consili* in Thyeste 308 et 325; *imperi* in eadem 223 239 526, in Phoenissis 296 661,

*) In adscribendis versuum numeris Schroederi, id est J. F. Gronovii editionem secutus sum, cum qua Badeni editio fere consentit.

Digitized by Google

in Phaedra*) 868, in Oedipo 84, in Octavia 483 601 790; *ingeni* in Phoenissis 238 et in Octavia 152; *Claudi* in Octavia 39. praeterea *supercili* habes Phaedr. 799, qui versus choriambicus est, et *Lucreti* Octav. 302 in versu anapaestico. semel vero Seneca breviorem hanc genetivi inflexionem ad adiectivum quoque nomen transferre ausus est. scripsit enim Phaedr. 1022 *numen Epidauri dei.* qua de re Carolus Lachmannus dixit in comm. Lucret. p. 327.

Jam ab his genetivis nominum in *ius* vel *ium* desinentium ad eorum dativos ablativosque casus pluralivi numeri transibimus. quibus Seneca duplicis *i* vocalis contractionem ter in senariis iambicis, semel in septenario trochaico adhibuit. loci hi sunt, Phoen. 625 *Sunt exilis graviora*, Oedip. 944 *supplicis eadem meis*, Med. 1015 *Moramque saltem supplicis dona meis*, et antea 743 *Supplicis, animae, remissis currite ad thalamos novos.* contra, cum in Graecis nominibus, ut Lachmannus docuit ad Lucr. V 85, eius modi contractio non admissa sit, falsum est quod Phaedr. 5 in conplu-

*) In constituendis tragoediarum titulis codicem Florentinum constanter ego quidem sequendum putavi. in cuius fronte haec sunt: MARCI LUCII ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAE N. VIIII. HERCULES. TROADES. PHOENISSAE. MEDEA. PHOEDRA. OEDIPPUS. AGAMEMNON. THYESTES. HERCULES. *Phoenissarum* igitur nomen quoniam ex optimo codice diu restitutum est, *Phaedrae* inscriptionem pro *Hippolyti* a nemine adhuc receptam esse valde miror, cum praesertim haec fabula praeter Florentinum in Melisseo quoque et in non nullis Delrionis codicibus *Phaedra* inscribatur eodemque nomine a Prisciano inst. gr. l. VI p. 253 H. (p. 709 P.) laudetur et primas in eo non Hippolytus, sed Phaedra partes agat. male denique ad Herculem alterum *Oetaei* cognomentum vulgo addi (quod ne Vossianus quidem alter adgnoscit) Daniel Heinsius recte exposuit.

Digitized by Google

ribus editionibus legitur, *et quae Thriasiis vallibus amnis.* neque id codicum auctoritate nititur qui hoc loco omnes corrupti sunt, sed de Francisci Raphelengii coniectura temere receptum est. itaque quoniam ne illud quidem quod in Delrionis aliorumque editionibus conparet, *quaeque Thriasiis*, anapaesticorum versuum leges ferunt, aut *et quae Thriasi* scribendum est ita ut *campi* subaudiatur, de qua scriptura iam J. F. Gronovius cogitavit (et gignendi casum *Thriasii* in editione Veneta anni 1522 legi Badenus refert), aut quod iam in editione Petri Scriverii extans rursus Bothius recepit, *quae Thriasiis,* producta prima huius vocis syllaba omissaque antea *et* particula, quam a Florentino abesse testis est Jacobus Gronovius in schedis Dietzianis a Bothio tractatis.

In hunc autem numerum non veniunt *dis* et *isdem* ablativi in Phoen. 205 et in Troasin 325. nam in his formis geminum *i* veteribus numquam probatum esse scimus. neque magis, ut hoc quoque breviter attingam, *di* casu recto, quam formam habes in Thy. 266 407 530 1070 (rectissime enim hoc loco J. F. Gronovius *Quocumque di fugistis)* et in Med. 1 396, dici potest ex *dii* ortum esse. sed *dei* et *deis* saepe dixit Seneca.

Dicendum est nunc de altera duplicis *i* vocalis contractione quae in perfectis *iit* et *petiit* cum compositis locum habet. de qua notum est accuratissime Lachmannum egisse in comm. Lucr. p. 208 sqq. eo auctore tripertita poetarum Latinorum in usurpandis contractis formis consuetudo erat: quas cum plerique non nisi ante vocales admitterent, Phaedrus et Seneca et Silius tantum modo ante consonantes vel in fine versuum posuerunt, comici autem veteres et ante vocales et ante

Digitized by Google

consonantes eis usi sunt. sed quod ad Plautum attinet, Lachmannianae observationi Alfredus Fleckeisenus adversatus est. qui cum ipse olim in exercitationibus Plautinis p. 8 et 39 tredecim versus e Plauti comoediis attulisset, in quibus contractas formas *it abit redit* similesque inesse putaret: postea in annalium philologicorum tomo LXI p. 23 et 60 totum hoc contractionis genus a Plauto abiudicandum esse censuit. quod utut sese habet, in Senecae tragoediis certa haec contractio est. pleraque autem eius exempla in senariorum exitu inveniuntur, et quidem *perit* in Phoen. 210 *patria tibi vivo perit*, in Troasin 493 *urbe in eversa perit* (id est, dic perisse), et 631 *iam certe perit*, in Med. 994 *Quidquid sine isto fecimus sceleris, perit*, in Herc. altero 1421 *scelere materno hic perit*, in priore 49 *foedus umbrarum perit;* item *abit* Phaedr. 728 Herc. alt. 1616 1760 1977; *redit* Tro. 50 Med. 984 Herc. alt. 1681; *obit* Tro. 597; *petit* Oedip. 803 Herc. 825 Tro. 348. ea tantum exempla attuli quibus contractio mihi indubitata videtur. caute enim in hoc genere versandum sentio, quia frequens est in Senecae tragoediis temporis perfecti cum praesenti confusio multaque exempla suapte natura ambigua sunt. quapropter nihil certi affirmaverim de eis quae sunt in Med. 928, in Oedip. 320 1025, in Tro. 460. multo rarius haec perfecta ante consonantes contractionem passa sunt. cuius rei quae causa sit facile perspectu est. cum enim totum hoc contractionis genus nihil paene offensionis ante vocales habeat, ubi sublata omni obscuritate ipsa terminationis productio quasi in aures inpingitur: molestiores etiam quam in extremis versibus breviores horum perfectorum formas adparet ante litteras consonantes esse, quo modo conlocatae a

Digitized by Google

formis temporis praesentis pronuntiando vix discerni possint. itaque in senariis non nisi ter haec licentia admissa est, in Herc. 1151 *quonam abit tegimen meum*, in Agam. 113 *Et qui redire cum perit nescit pudor*, in Octav. 421 *aut petit praedae imminens*. nam in Agam. 967, ubi legunt *Exit Mycenas*, librum Florentinum secuti scribemus *Extra Mycenas*. ab aliis vero praeter senarios metris contractae eius modi formae plane exclusae sunt, nisi quod in Herculis alterius carmine anapaestico eo cuius a versu 1863 initium est, tria earum exempla insunt, v. 1865 *cui concepto lux una perit*, paullo post 1867 *ipsa quiddam plus luce perit*, 1911 *Nempe Alcides mortalis obit*; quibus quartum addendum est ex eiusdem fabulae versu 1062, qui Glyconeus est, *Manes cum tacitos adit*.

Ut autem hoc loco diductas quoque formas breviter commemorem, eae contractis multo rariores sunt. pronuntur autem fere ante consonantes, *subiit* Phaedr. 135, *obiit* in eadem 999, *abiit* Agam. 944 et Herc. alt. 751, quibus versibus ternis syllabis necessario opus est. itaque etiam Phaedr. 221 pleniorem formam *adiit* servabimus. ter tantum ante vocales his formis locus concessus est, in Herc. 244 *Petiit ab ipsis nubibus*, in eadem fabula 321 *Abiit arenas*, in Troasin 806 *Rediit Achilles*. quales formas ultima syllaba extenta proferendas esse Lachmannus in comm. Lucr. p. 207 certissimis argumentis docuit, quibus, quod ad Senecam attinet, aliud ab accentuum ratione petitum infra adiciam. hancque nunc scimus omnium perfectorum quae eodem modo terminata sunt pristinam et naturalem quantitatem fuisse.

Verum illa de qua antea dicebamus geminae *i* vocalis contractio ad alias quoque perfectorum formas per-

Digitized by Google

tinet, quas iam enumerabimus. itaque *redi* in senariorum exitu dictum est Herc. 612 Herc. alt. 22 48 795 1162, *peti* Med. 248 et Herc. alt. 1843. neque ego has vel similes formas umquam diductis vocalibus positas repperi. deinde numquam nisi contracte dicta sunt *redisti petisti petisset exisset*, quae formae inveniuntur Herc. alt. 982 551 Agam. 358 Med. 1010 955, quibus addendum est *petissem* in Troasin 555, quamquam hic ne quadrisyllabae quidem formae metrum refragatur. neque dubito quin primam multitudinis personam contractio occupaverit in Phaedra 1213 *In hoc redimus?*, et in Hercule 1143 *Certe redimus* (hoc est, certum nos redisse), quo loco qua auctoritate Bothius pleniorem formam *rediimus* restituerit nescio. denique cur non in infinitivis quoque constantiae poetam studuisse putemus? itaque cum Herc. 640 Herc. alt. 807 Tro. 490 Med. 281 trisyllabis *redisse perisse exisse* necessario opus sit, etiam Agam. 1009 Oedip. 765 Phaedr. 998 *perisse* et *obisse* scribi praestabit.

Similis contractio fit in *deesse* et *deerrare* verborum eis formis quae ab *e* littera incipiunt, in quibus praepositionem „inminui“ Velius Longus dicit. igitur *dest* scribendum est Herc. 500 Oedip. 68 694 Tro. 61; *derat* Herc. 832 Phoen. 369 Phaedr. 1186 Tro. 888 Med. 992 Herc. alt. 1853; *derit* Phaedr. 473 Med. 403; *desset* Phoen. 514; *desse* Thy. 717 Phaedr. 477 878 Oedip. 693; *derrantes* Phaedr. 1069.

Progrediamur nunc ad ea exempla, in quibus binae diversae vocales ita inter se coeunt, ut simul pronuntiandae sint, sed non in diphthongum eae coniunctae. haec igitur synecphonesis notissima est in *deinde* vocabulo, quod in Senecae tragoediis semper bisyllabum est, Thy. 169 714 730 Oedip. 939 Herc. alt. 859 1408. aeque

Digitized by Google

usitatum est *Atrei* bisyllabum in Tro. 341, et *anteire* trisyllabum in Agam. 453. neque vero dubito quin *meis* monosyllabum concedendum sit Troadum versui 191, ubi cum male vulgo legatur *debitos manibus meis Auferte honores*, quasi manus Achillis intellegendae sint (Badeni enim ineptias memorare taedet), Florentinus praeclare verba sic transposita exhibet, *manibus meis debitos*. qua in lectione adsentior Bothio quod adquiescendum esse putavit. etsi enim Augusteae aetatis poetae et qui hos imitantur synizesin huic pronomini numquam adhibuisse videntur (certe nullum ex illorum carminibus exemplum mihi promptum est): quid inpedit quo minus tragicum nostrum ut alia non nulla ita illam quoque monosyllabam formam a veteribus scaenicis semel adscivisse putemus? denique *e* et *o* litterarum coniunctione *saxeo* bisyllabum factum est in Thy. 233 *Fatale saxeo pascuum muro tegens*, qui versus cum mutatus ac detortus ab eis fuisset qui synizesin optimis poetis probatam ignorarent, e Florentino demum recte prodiit.

Venimus ad *o* vocalem alii vocali insidentem. hic ante omnia de poetae nostri in *proin* et *proinde* vocabulis usurpandis consuetudine dicendum est. atque Lachmannus quidem ad Lucr. III 159 observavit Senecam breviorem formam per unam syllabam et ante vocalem et ante consonantem, sed eundem *proinde* semper diductis vocalibus extulisse. et sane *proin* monosyllabum ante consonantem est in Phaedr. 261 *Proin* (sic enim Florentinus) *castitatis vindicem armemus manum*, et in Agam. 129 *Proin quidquid est*. sed Thyestis versus 201 etsi in omnibus quas novi editionibus ita legitur, *Proin antequam se firmet aut vires paret*, Florentinus tamen haec testatur, *Proinde antequam se fir-*

Digitized by Google

mat aut vires parat, quam lectionem „ex indocta interpolatione fluxisse“ cum Badeno credere nolo. quamquam praeter hunc locum semper tribus syllabis *proinde* dictum est, Phoen. 458 Phaedr. 481 Oed. 647 Agam. 141 Herc. alt. 923 1969. similis atque in *proin* vocabulo synecphonesis fit in *proiciet*, quod trisyllabum videtur in Phoen. 426 *Et inter acies proiciet raptam duas*, ut iam observavit Josephus Scaliger ad hunc locum, deinde Lachmannus in comment. Lucr. p. 188.

Ad *u* vocalis cum insequenti vocali concursum transeundum est. huc primum pertinet *quattuor*, quod Seneca Plautum et Ennium imitatus bisyllabum esse voluit in Herc. alt. 1095, qui versus Glyconeus est, *Quattuor praecipitis deus Anni disposuit vices.* hac autem in forma notum est dubitari utrum *u* littera consonantis vicem teneat an plane praetermissa sit. sed certe consonantis potestatem *u* littera adepta videtur in *suapte* bisyllabo, quod invenitur Agam. 250 *Quid rere ad animum suapte natura trucem.* in quo synecphonesis genere non erat cur Bothius adeo offenderet, ut utrumque locum corruptum esse iudicaret. idem enim in haec exempla cadit quod de *meis* monosyllabo supra diximus. deinde memorabile est *cui* pronomen cum semper monosyllabum sit in Senecae tragoediis (cui regulae minime repugnat quod non paucis locis metrum et monosyllabam formam et bibrevem admittit) hancque cum illo synizesin conposita *cuique* et *cuiquam* communem habeant, semel distractas vocales esse in Agam. 146 *Cui ultima est fortuna; quid dubiam timet?* hoc autem loco quoniam id de quo agimus pronomen ita conlocatum est, ut posterioris syllabae quantitas intellegi nequeat, ceteris autem locis omnibus, ut modo

Digitized by Google

vidimus, per unam syllabam efferendum est aut ita efferri facillime potest: bibrevi forma Senecam consulto abstinuisse puto. itaque ne *cuicumque* quidem credo correpta *i* littera quattuor syllabis dictum esse in Troasin 852 *Mittat et donet cuicumque terrae*, ad quem versum infra redibit disputatio. denique *huic* non nisi per unam syllabam dictum est, Oedip. 848 et Herc. alt. 869 1619.

Restat ut de ea synizesi dicatur quae *i* littera alii vocali praemissa fit. ad hanc autem vix referri possunt notissimae illae formae *semiustus semiusta semianimem semianima* Thy. 80 Herc. alt. 1737 Tro. 1085 Phaedr. 1102 Oedip. 1053, in qualibus *i* breve plane omissum esse pronuntiando simillimum veri videtur. idque ipsa scriptura expressum est in Agam. 761 *Fert laeva semustas faces.* hunc in numerum venit etiam *Pelopeia* quadrisyllabum in Thy. 22 et in Med. 891. verum quamvis recte distracta forma usi ei sint, quibus opus esset quinque syllabis: eam per synizesin rursus ad quattuor syllabas reducere spreta legitima usitataque forma quadrisyllaba, id ratione plane destitutum est. itaque Bothio adsentior qui utroque loco *Pelopea* restituit. ceterum proceleusmaticam quoque formam quae est *Pelopius* Seneca usurpavit Agam. 7 et 165; eandemque formam recte Bothius et Badenus Thyestis versui 641 reddiderunt. sed ut ad vera synizesis exempla veniam, eorum duo genera sunt. in altero *i* litteram in consonantem durari apertum est, quia quae eam antecedit syllaba, cum natura brevis sit, vi positionis producitur. ex eo igitur genere *facias* est, duabus longis syllabis dictum in Thyeste 1052 *Sceleri modus debetur ubi facias scelus*, ad quem versum infra redibimus. utrum vero *arietis* dactyli mensuram an proceleusmatici habeat

Digitized by Google

in Med. 471 *spolia Phrixei arietis*, a metro ambiguum est. eodem autem modo Ennius dixit *pellem inauratam arietis*. in altero genere *i* littera syllabam natura longam sequitur, ut utrum consonantis vicem obtineat necne diiudicari non possit. huc referendum est *conubia* tribus syllabis dictum in Phaedra 232 *Conubia vitat, genus Amazonium scias*, et in Oedip. 800 *Conubia matris*. contra quadrisyllabum est *conubia* in Tro. 901. deinde eandem synizesin fortasse *nescio* verbo conplu-ribus locis a Seneca adhibitam esse infra exponam. ad idem denique genus *regia* bisyllabum referrem in Thy. 650 *Arcana in imo regia secessu patet*, nisi hoc vocabulum per errorem in nescio quam antiquiorem editionem primum inrepsisse et inde ab editoribus temere propagatum esse putarem. totius enim loci sententia iubet *regio* scribi; quod cum iam diu persuasum habuerim reponendum esse, nunc et ab Hieronymo Commelino e Palatinis quibusdam notatum et a Josepho Scaligero olim repositum esse et in Petri Scriverii editione extare video. minus etiam ferri potest quod Herc. alt. 1342 in editionibus tantum non omnibus satis mira insuper verborum constructione legitur, *brachia in amplexus cape*. neque vero Florentinus hoc loco nos adiuvat, in quo aeque mendose *brachia et amplexus*. placet autem mihi quod Hugo Grotius excogitavit, receptum id a Bothio, *brachia amplexu cape*.

Haec habebam de synizesi quae dicerem. falso enim Phoen. 535 quaedam editiones habent *per decem mensium graves*, ubi *mensum* per duas syllabas scribendum est eadem ratione qua *coelestum* trisyllabum est in Herc. 597, ipsis id litteris expressum. nam cum in formandis his tertiae quam dicunt declinationis genetivis satis ma-

Digitized by Google

gnam omni tempore inconstantiam fuisse constet: illae formae non tam per synizesin ex usitatis *mensium* et *coelestium* ortae esse quam peculiarem originem habere dicendae sunt.

Quoniam autem postremo de *i* littera disputavi, quae de ea restant dicenda statim addam. hanc igitur litteram, cum consonantis loco posita est, umquam in vocalem solutam esse nego. scio quidem Tro. 824 et 853 *Troiae* vulgo credi ternis syllabis correpta prima efferenda esse. sed neutro loco trisyllabam pronuntiationem ullo modo necessariam esse adparebit cum de versibus Sapphicis disseram. deinde breviter commemoranda esse video ex *iaciendi* verbo conposita, in quibus *i* litteram eidem litterae praemissam plerumque prorsus extritam esse notum est. itaque prima correpta *adice* habes Oedip. 811 Med. 277 471 783 Herc. alt. 364 Octav. 125; *adicit* Thy. 727; *obicit* Med. 496; *obici* Herc. 434 et Med. 237; *subicit* Octav. 827. variare Senecam in uno eodemque Medeae versu 527, *His adice Colchos, adjce Aeeten, ducem*, animadvertit Lachmannus ad Lucr. III 863. verum teste Jacobo Gronovio in schedis Dietzianis Florentinus *et* particulam inmissam habet hoc modo, *adice et aetem.* itaque de hoc versu cohibendum iudicium est. neque aliud ego satis certum pleniorum formarum exemplum repperi, ut consulto eas a poeta evitatas esse putem. nam in Troasin 395 *Arctoi Boreae disjcit impetus* Florentinus teste eodem Jacobo Gronovio habet *dissicat*, alii libri veluti Delrionis omnes *dissipat*, Melisseus *dissicit.* hocque postremum existimo ab ipso poeta profectum esse. non minus ambigua sunt *adjcere* in Phoen. 201, *objcere* in Med. 497, quibus locis numeri lex non inpedit quo minus *adicere* et *obicere* scri-

Digitized by Google

bamus. denique in Phoen. 343 *dissicite* scribi iubet ipsius Florentini auctoritas. ab his autem diversam rationem *obex* nomen sequitur, cuius sextus casus *objce* certus est Herc. 237 et 999.

III

Supra vocalium in mediis verbis coeuntium exempla tractavimus. itaque nunc paucis interiectis quae cum illa re quodam cognationis vinculo coniuncta videbantur, ad extremorum verborum, quem ad modum Cicero dicit in oratore, cum insequentibus primis concursum progredimur. qua disputationis parte de hiatu et de synaloepha quae elisio perperam dicitur nobis agendum esse adparet. hiatus vero, si a versibus anapaesticis recesseris quorum naturam infra enarrabimus, duo tantum modo in senariis exempla extant, quae non dubito quin corrupta sint. et in Octavia quidem 516 *Tristes Philippi. hausit et Siculum mare Classes*, etsi nulla quod sciam lectionis varietas e libris enotata est, tamen ad modum probabilis est J. F. Gronovii coniectura, *mersit et Siculum mare*, praesertim cum *hausit* paullo post (v. 521) recurrat. deinde in Hercule altero 1201 *ut telo inclito Mortis* (sic enim haec verba e vestigiis Melissei et Florentini recte constituit J. F. Gronovius) *carerem. o ferae victae*, *ferae*, huic hiatui fatendum est praesidio Moguntinum et Florentinum esse, quos *o ferae* praebere Delrio et J. F. Gronovius testes sunt. neque ego amplectar quod in editione Delrionis positum video, *pro ferae*, quod tollendi hiatus causa nescio quis excogitasse videtur. verum in tot versibus constanter repudiatam

Digitized by Google

licentiam semel bisve admissam esse nullo modo credibile est.

Hiatum autem quando nusquam, ut videtur, sibi indulsit Seneca, idcirco synaloepham vocalium illi contrariam non putandus est in deliciis habuisse eaque ita usus esse, ut nulla omnino elegantioris artis norma adpareret. sed, sicuti in aliis rebus prosodiacis, ita in hac tota quam de synaloepha instituturi sumus disputatione hoc cum maxime nobis observandum est, ut metrorum genera accurate discernamus. alia enim in senariis iambicis, quibus addendi sunt qui perraro in his tragoediis inveniuntur septenarii trochaici, alia in metris lyricis coniungendarum vocalium ratio atque condicio est. incipiamus autem a senariis, qui proprium diverbii metrum sunt. sed priusquam de singulis copulationis modis expono, pauca proferam quae ad totum genus recte definiendum pertineant. etenim in prima et in quinta arsi senariorum certum quasi domicilium vocalium coniunctio sibi constituit, aliis locis non ita frequens est. neque eam fovebimus sicubi ne a libris quidem satis praesidii habet. veluti Herc. 1223 post *turbae* vocem Florentinus quidem copulativum *et* omittit. sed totus hic locus tam manifesto corruptus est, ut quo modo omnes eum editores intactum potuerint relinquere per mihi mirum videatur. restituit autem eum emendatione pulcherrima Joannes Hildebrandus Withofius in praemetio crucium criticarum p. 119, hoc modo, *clusa furiarum loca Et inferorum carcer et sonti plaga Decreta turbae. si quod exilium latet Ulterius Erebo Cerbero ignotum et mihi, Huc me abde tellus.* quod nolui praetermittere, ut semel ostenderem recentiores Senecae tragici editores non habuisse cur illius

Digitized by Google

viri inventa magnam partem egregia fere contempnerent: e quibus etiam quae falsa aut omni probabilitate destituta sunt, acutum nihilo minus ac subtile ingenium produnt. sed ad propositum redeo. iam enim quaedam ad legum constantiam redigere conabor. et primum quidem ab ipso senariorum exitu qualecumque synaloephae genus exclusum esse observavi, nisi quod hoc loco *est* vocula persaepe ita conlocari solet, ut vocem vocali vel *m* littera terminatam excipiat. quod nego equidem casu factum esse eidemque studio tribuo quo qui versibus heroicis scripserunt in illorum fine vocalium coitum evitarunt. itaque illo certe trimetrorum loco verbo substantivo aphaeresin poeta adhibuisse videtur, ut diceret omissa *e* littera *viast gravest meist morist* (Phoen. 79) *manust* (Phoen. 454) *malumst Herculemst* (Herc. alt. 940). sed extra finem senarii utrum vocales coniunxerit an verbum substantivum sua privaverit, id sine librorum auxilio diiudicari nullo modo potest. quamquam per se non inprobabilis est eius modi aphaeresis, si paucissima ea exceperis quae sunt in Med. 492 *munus, ut video*, *est fuga,* in Phaedr. 227 *Experta saevam est*, in Octav. 478 *Complexus astra est*, et fortasse alia quaedam eis similia. sed, ut cursum teneamus, si recte antea vitatae in extremis senariis synaloephae causam in quadam epicorum poetarum imitatione positam esse vidimus, ad eandem illud referemus, quod ab initio quoque trimetrorum verborum conglutinatio plerumque abest. neque tamen hic nimis severus poeta fuit. migravit enim hanc legem, si recte observavi, tredeciens, Herc. 362 593 604 *Si aeterna*, *Qui alterna*, *Qui advexit*; Phoen. 35 37 *Cum occidis, Jam et matris;* Phaedr. 1120 1185 *Si abominanda*, *Si incesta;* Oedip. 602 697 *Cum examen*, *Num audita;*

Digitized by Google

Med. 281 289 948 *Jam exisse, Dum extrema, Dum et mater;* Agam. 274 *Quae Europam.* iam his legibus addenda tertia est eaque Senecae, ut videtur, propria. etenim semper fere cautum est, ne in mutatione personae verba verbis coagmentarentur. cui regulae quae adversantur, maxima ex parte librariis vel editoribus, non ipsi poetae debentur. sic in Thyeste 1021 vulgo legitur, *Fugere superi.* Atr. *At accipe hos potius libens.* verum *at* coniunctio in eo codice qui primariam fidem habet deest. quae cum ne sententiae quidem satis conveniat, dubitari non potest quin temere ab eis inserta sit qui hiantem versum adiuvare vellent. at melius, puto, arti poetae consulemus scribendo *Jam accipe hos potius libens.* deinde in Herc. alt. 892 pleraeque editiones haec habent, *Vitam relinques misera?* Deian. *At Alciden sequar.* sed in Florentino est *miseram*, non *misera*, idemque codex una cum omnibus Delrionis libris praebet *Ut Alciden sequar.* unde non solum elegans, sed certa quoque J. F. Gronovii coniectura est, quam ab ipso dubitanter propositam postea Bothius in ordinem recepit, *Vitam relinques?* D. *miseram, ut Alciden sequar.* porro in Phoen. 651 Bothius sua personarum distributione poetae haec obtrudit, *iam numeres licet Fratrem inter istos.* Pol. *Numero.* Et. *At* (sic Bothius pro *et*) *est tanti mihi Cum regibus iacere.* quo loco vulgatam personarum dispositionem ineptam esse ipse intellego. sed, si quid video, praestat ita scribere, *Numeret: est tanti mihi Cum regibus iacere,* et haec omnia Eteocli attribuere. remotis igitur his exemplis non nisi duo restant, in Agam. 794 Ag. *Credis videre te Ilium?* Cass. *Et Priamum simul,* et in Octav. 457 Ner. *Decet timeri Caesarem.* Sen. *at plus diligi,* quibus ego exemplis litem non moverim.

Digitized by Google

Jam vero ut ad singula veniamus, quoniam, uti supra iam dictum est, propriam sedem vocalium coniunctio in senariorum prima et quinta arsi conlocavit, posteriore loco Seneca non dubitavit eo quoque synaloephae genere uti, quod Lachmannus ad Lucr. III 374 fere a poetis evitatum esse docuit: quod fit duorum vocabulorum continuitate quorum prius in vocalem longam sive diphthongum longae vocali subiectam desinit, alterum a vocali incipit. exempla iam Lachmannus omnia enumeravit, sunt autem haec, Oedip. 288 *sorte Phoebea excitus*, 305 *turis eoi extrue*, Med. 471 *spolia Phrixei arietis*, Agam. 918 *Elea inclitus Palma revertor*, Herc. alt. 716 *tabe Nessea illita.* in eadem trimetri sede longa vocalis diphthongo subiecta cum insequenti vocali semel copulata est in Phaedra 147 *Lethaeo abditum*, in quo tamen genere admittendo Seneca, ut idem Lachmannus observavit, conplures habuit qui praeirent. deinde in prima arsi duae vocales synizesi in unam coniunctae cum insequenti semel coierunt in Troasin 341 *Atrei et Thyestae.*

Sequitur ut de certis quibusdam vocabulorum formis videamus. observatum autem est a Lachmanno ad Lucr. III 954, ad communem poetarum legem, ne post voces iambi pedis mensura conprehensas in vocalem exeuntes syllaba acuta poneretur nisi cum hiatu, Senecam cum paucis aliis adligare se noluisse. coniunctae igitur eo modo vocales sunt in Thyeste 1065 *et aggessi manu Mea ipse flammas*, in Med. 150 *Sile óbsecro*, in Herc. alt. 813 *hac manu, hác.* hucque duo alia praeterea exempla cum Lachmanno referenda sunt e Troasin 973 *meae ignota est*, et ex Herc. alt. 262 *hoc sinu immenso exeat*, si quidem, quod simillimum veri est,

Digitized by Google

ignota et *immenso* vocabula elisione truncata accentum in primam syllabam retrahunt. ceterum, cum a maiore parte poetarum, ut item Łachmannus exposuit, vocabula iambica tantum aut cum monosyllabis et gravibus aut cum hyperdisyllabis post primam syllabam acutis copulari solerent, hoc genere Seneca quoque saepius quam illo usus est. primum monosyllaba iambicas voces excipiunt in Herc. 489 *quod Jovi, hoc regi licet*, in Phaedra 1268 *non suo, at vacuo loco*, in Oedip. 1012 *quis frui et tenebris vetat?* deinde voces in secunda syllaba acutae vocabula iambica secuntur in Thy. 463 *nec meae excluso Jove*, ibidem 979 *Totumque turba iam sua implebo patrem*, in Med. 128 *quod tuae ignorant manus*, in Herc. alt. 1394 *non ferae excutient mihi*, ibidem 1833 *nec gravi urgendus nece.* denique semel vocabulum in tertia ab initio syllaba acutum post iambicum positum est in Thy. 1022 *Diu expetitos.*

Has quae adhuc tractatae a nobis sunt Lachmanni de vocabulis iambicis observationes Nicolaus Madvigius in gramm. Lat. praef. p. VIII in anapaestica quoque vocabula cadere contendit. quod quam verum sit nescio, cum aliorum poetarum in hac re consuetudinem nondum satis exploraverim. sed in Senecae tragoediis affirmare possum vocabulorum anapaesticorum vocalem extremam ut saepius quam iambicorum, ita non inconsulte ac temere cum insequenti longa vocali copulatam esse. et acutae quidem syllabae cum eius modi vocibus collisus non nisi in quinta arsi senariorum fit, Herc. 219 *placido intuens*, item 350 Thy. 235 267 520 731 Phoen. 265 481 586 Phaedr. 1026 1280 Oedip. 334 385 632 820 1033 1037 Tro. 540 684 Med. 381 557 Agam. 286 452 693 Herc. alt. 305 Octav. 622

Digitized by Google

781. anapaestica vocabula cum quadrisyllabis in tertia ab initio syllaba acutis coniunguntur in prima arsi, Herc. 63 *Timui imperasse*, Thy. 62 *Epulae instruantur*, item Oedip. 766 Tro. 249 980. eodem trimetri loco monosyllaba et gravia voces anapaesticas secuntur in Phaedr. 95 *Solio ut revulsam*, et 1041 *Oculi hinc*, quibus exemplis addendum est *atque* bisyllabum anapaesticam vocem excipiens in Med. 119 *Patria atque regno.* item in quinta arsi copulantur *lacrimae et dolor* in Phaedr. 851, *sceleri haec meo* in Phoen. 143. denique in mediis trimetris paucissima haec observavi, *populi et vulgus* in Phaedr. 488, *socero et regiae stirpi* in Med. 18, *Erebo ut caedis* in Oedip. 394, *habitu atque ore* in Octav. 705, *timidi est* in Phoen. 197, nisi *timidist* poeta scripsit, et quod singulare exemplum est, *famuli attollite* in Agam. 787.

Vocabulorum iambicorum anapaesticorumque cum longis syllabis concursum tractavimus. verum Seneca duobus locis vocabuli iambici vocalem extremam etiam cum brevi syllaba copulavit, primum in Phoenissis 394 *Vide ut atra nubes pulvere abscondat diem*, quem locum Lachmannus ad Lucr. III 941 cum sine exemplo esse arbitraretur, ita mutandum censuit, *Viden? atra nubes pulvere abscondit diem.* at plane idem invenitur in Troasin 945 *Vide ut animus ingens laetus audierit necem.* quo et ipso loco facili opera scribere possis *Viden? animus ingens laetus audivit necem;* quod ut re vera olim hic lectum esse e commentario Delrionis colligo, ita quam fidem habeat ignoro. Moguntinum quidem *Vide ut* et *audierit* habere eiusdem Delrionis testimonio constat. itaque quoniam illi lectioni meliores certe libri nullo modo favere videntur neque *viden* forma vel huic

Digitized by Google

imilis in senariis Senecae usquam locum habet (omnino non nisi semel eam repperi Herc. alt. 1207 in dimetro anapaestico), Senecam malo credere utroque loco veterum scaenicorum licentiam sibi indulsisse. porro quod in vocabulis iambicis bis Senecam admisisse concedendum videtur, id in anapaesticis semel, nisi quid me fugit, sibi licitum putavit in Phaedra 362 *Torretur* (regina) *aestu tacito, et inclusus quoque.* nam in Thyeste 1021 falso legi *Fugere superi. At accipe,* supra demonstrasse mihi videor. denique ne vocis quidem in anapaestum exeuntis vocalem finalem cum brevi syllaba coniunctam esse plus quam semel observavi in Med. 468 *Armifero in arvo.*

Relicum est ut in aliorum vocabulorum producta vocali extrema ante brevem vocalem ponenda qualem Senecae consuetudinem esse animadverterim breviter exponam. etenim tota hac coniungendarum vocalium ratione plerosque poetas non nisi caute usos esse Mauricius Hauptius docuit in observationibus criticis p. 15 sqq. et adparet paullo insuavius hoc genus esse, in quo producta vocalis non possit non pronuntiando multo magis obscurari ac reprimi quam longa vocali cum item longa concurrente fieri solet. inveni igitur haec, Herc. 606 *vidi inaccessa*, 613 *vidi et ostendi*, 764 *cultu et adspectu*, Thy. 199 *novi ego*, 325 *consili Agamemnon*, 1058 *Cecidi ad aras*, 1059 *Placavi, et artus*, 1061 *Demersi ahenis*, 1064 *vidi et aggessi*, Phoen. 108 *regno et illum*, 136 *Uno avia*, 262 *proloqui hymenaeum*, 497 *veni ut arcerem*, Phaedr. 592 *Aude anime*, Oedip. 62 *luctu in ipso*, 223 *visu et auditu*, 695 *Incognita igitur ut nocens causa cadam*, 844 *Agitasti opimos*, 928 *fervido aliquis*, Tro. 306 *Hac dextra Achilli*, 320

Digitized by Google

belli et armorum, Med. 188 *tactu et accessu*, 255 *legendo et adflictum* (quamquam hic corripi *o* potuit), Agam. 301 *Asporta ab oculis*, 513 *Aiaci Ulixes*, 920 *Gratari amico*, et si forte poeta in Herc. alt. 1450 *quali Amazonium* scripsit, quod J. F. Gronovius pro *quale Amazonium* proposuit. in Octavia memorabile est nullum eius modi exemplum extare. tanta igitur cum huius synaloephae raritas sit, eam ubi facillime evitari poterat temere a Seneca usurpatam esse non simile veri est. itaque cum in Thy. 674 paullo tardiore numero legatur *quin tota solet Micare flamma silva, et excelsae trabes Ardent sine igne*, vel propter declinandum durius elisionis genus non dubito hanc a Bothio propositam verborum traiectionem amplecti, *Micare silva flamma*. eademque de causa nego poetam in Phaedra 668 dedisse *Respersa labe nulla et intacta*, cum posset scribere *Respersa nulla labe*. atque hic verborum ordo in vetusta editione Caroli Fernandi a Bothio inspecta inque aliis conparet. iam non nisi unum, si recte observavi, istius synaloephae exemplum superest consulto supra a me praetermissum in Herc. alt. 1271, *primo et ante omnes mihi Fletum abstulisti*. haec enim verba a totius loci sententia aliena erunt nisi hoc modo corrigantur, *prima tu ante omnes*. cuius coniecturae probabilitati ne quis hoc obstare putet, quod pronomen notionis pondere insigne elisione reprimitur, plane idem fit Herc. 1177 Phoen. 309 488 aliisque locis. dixi de vocibus hypermonosyllabis: monosyllabae rarius etiam cum brevi vocali coniungi solent, *me* Phoen. 6 *quae me ab hac*; *te* Phoen. 207 *quid te ad infernas*, Med. 916 *Quo te igitur*, Agam. 933 *te, Oresta; si* Phoen. 413 *Aut si aliquod*, Phaedr. 1120 *Si abominanda*, et paullo post 1121

Digitized by Google

Et si odia (hunc tamen locum tacere nolo mihi suspectum videri, ut pote qui Thesei verbis praegressis parum respondeat; neque Bothius difficultatem sustulit *Etsi* scribendo), Agam. 199 *si aliter nequit;* quibus exemplis statim adiciam, quamquam ad hanc disputationem non satis apta sunt, quae in *m* litteram exeunt, cum brevibus syllabis copulata, *iam* Herc. 112 *iam odia*, *tam* Phoen. 133 *quid tam inextricabile.* sed in Oedipo 638, ubi legunt *Egit qui in ortus semet*, miror a nemine adhuc Florentini lectionem receptam esse, *Egitque in ortus.* in Octavia vero cum ne cum longa quidem syllaba usquam ullum monosyllabum sive vocali sive *m* littera terminatum coniunctum sit, uno versu 870 vocis monosyllabae in vocalem exeuntis cum brevi syllaba conglutinatio fit, *ut ne ineæpugnabilis.* quod qui animadvertit cavebit ne versu 134 Lipsii coniecturam *Emerge te undis* aut quam ex huius et J. F. Gronovii coniecturis hibridam Franciscus Ritterus confinxit, *Emerge te umbris*, adprobet, sed scribet cum J. F. Gronovio *Emerge ab umbris*, aut quod magis mihi adridet, *Emerge tenebris* cum Withofio in praemet. p. 102. restat ut diphthongum cum brevi vocali numquam coisse dicam. cui observationi in vulgaribus editionibus duo loci adversantur, Herc. alt. 1325 *O terrae et urbes*, et Phoen. 499 *hastae*, *et arma.* sed priore loco *terrà* scribendum est e codice optimo. alterum locum rectissime J. F. Gronovius ita restituendum vidit, *Reclinis hastam et arma defixa incubans.*

Brevius synaloephae in metris lyricis condiciones absolvere potero. in quibus Seneca non modo eis coniungendarum vocalium modis, quos in senariis caute admissos esse vidimus, fere abstinuit, sed etiam lenis-

Digitized by Google

simo quoque atque usitatissimo genere tam raro usus est, ut voluisse hunc poetam, quoad eius facere posset, qualemcumque syllabarum coitum defugere apertum sit. plerumque enim non nisi breves vocales (et ex his omnium saepissime *e* littera, quam non per synecphonesin obscuratam, sed vere elisam esse credibile est) vel syllabae in *m* litteram exeuntes cum syllabis sive longis sive brevibus copulatae sunt. nec pauca sunt integra carmina, in quibus aut nullum omnino ullius elisionis exemplum aut unum tantum vel alterum conpareat: ut haec Senecae ars cum ea conparari possit, quam Calpurnium et laudatorem Pisonis carminibus suis adhibuisse Mauricius Hauptius animadvertit in commentatione quam de Calpurnii et Nemesiani carminibus bucolicis conscripsit, p. 3 et 26. veluti in primae tragoediae eo carmine cuius a versu 125 initium est, quod septuaginta amplius dimetros anapaesticos continet senario iambico clausos, uno versu 186 haec elisio fit, *Nimium Alcide*; nam v. 168 *in auro est* huc referre dubito. pari vel etiam maiore arte elaborati sunt versus anapaestici in Octav. 201 sqq., in Herc. alt. 1279 sqq. et 1983 sqq., Sapphici in Phaedra 736 sqq., choriambici in Med. 56 sqq. et 93 sqq., Glyconei in Med. 75 sqq. (nisi quod fortasse v. 92 e Lipsii libro scribendum est *Vir longe ut superat*), dimetri iambici in Agam. 759 sqq. sed ad singula transeundum est. igitur longam vocalem cum brevi copulatam semel ego repperi in Herc. alt. 1956, *Certe ego*, in tetrametro dactylico. porro longarum vocalium cum item longis coniunctarum pauca exempla inveniuntur, quae singillatim mihi enumeranda esse video. praeteribo autem qui et ipse raro ad modum occurrit productarum vocalium cum *est* verbo concur-

Digitized by Google

sum, qui utrum ad elisionem pertineat necne incertum est. itaque in versibus anapaesticis spondiaca vocabula eius modi elisionem passa sunt Oedip. 740 *Uno aetatem*, et 993 *multi ad fatum*, Herc. alt. 1887 *Magno Alciden*, in quem versum infra redibit disputatio, Octav. 13 *Natae exaudi*, 28 *Ultra Oceanum*, 358 *Ferro es gnati*. anapaesticae vocis quod certum videatur unum exemplum extat Agam. 684 *Pelago audaces*. nam Med. 343 recte Bothius J. F. Gronovii coniecturam *Subito impulsi* in ordinem recepit. itaque vel hinc reicienda est Francisci Ritteri in Octav. 361 coniectura *pelago atque*. e monosyllabis autem hoc modo obscurantur *te* in Thy. 802 *Quid te aetherio*, *cum* in Med. 355 *cum Ausonium*, et in Agam. 98 *Et cum in pastus*. porro a versibus choriambicis totum hoc synaloephae genus abiudicandum videtur. nam Herc. alt. 169, ubi legunt *Ut caelo insereret*, recipiendum est quod J. F. Gronovius Florentini nisus vestigiis proposuit, *Caeloque inseruit*. in Phaedrae autem versu 768, qui in plerisque editionibus ita extat, *Languescunt folio lilia pallido*, etsi optimi codices Florentinus et Melisseus *ut* post *folio* insertum habent, tamen hanc voculam hic incommodam esse iam J. F. Gronovius intellexit. denique Thyestis certe versu 147 *Divisusque tua est*, *Tantale*, *dextera*, plane non dubito quin *tuast* Seneca scripserit, quia vocis iambicae vocalis finalis extra senarios numquam elisa est. tum in Glyconeis vocis creticae vocalis ultima cum longa syllaba coniuncta est Oedip. 886 *Spiritu antennae*, anapaesticae Thy. 342 *cupidi arcium*, in anapaestum exeuntis ibidem 350 *ambitio impotens;* monosyllabum obscuratur Herc. alt. 1045 *quae aëra*. in versibus Sapphicis hoc elisionis genus habes Herc. alt. 1547 *Feminae*

Digitized by Google

exertos feriant, quem ad modum in Florentino legitur, Agam. 602 *Hostica aut muros populante flamma* (si recte sic scribitur), Tro. 853 *Troiae atque*, quae synaloepha illi praeterea respondet, qua in senariis semel dictum erat *Lethaeo abditum*; neque enim quicquam causae est cur *Troiae* hic pro anapaesto habeatur, id quod iam supra a nobis memoratum alia disputationis parte conprobabimus. iam non nisi unum productae vocalis cum producta coeuntis exemplum superest Oedip. 737 *Hostico experti* in carmine e variis metris conposito; inque simili Agamemnonis carmine *cum* monosyllabum obscuratum est, versu 619 *Aut cum ipse.*

IIII

Sed ne in tota hac quam de synaloepha institui disputatione parum diligens fuisse videar, quae de vocalium finalium primitus productarum correptione observavi nunc exponenda esse intellĕgo. ut autem ab *o* littera incipiam, quae cum in omnium vel verborum vel nominum exitu principio longa fuisset paullatim pronuntiando attenuata est: eam in Senecae tragoediis fere tam infirmam deprehendimus, ut nisi accedente arsis pondere produci non possit. itaque in verborum omnibus formis quaecumque in hanc litteram exeunt constans et quae in qualicumque metri genere valeat regula haec est, ut *o* producatur in arsi positum, in thesi delitescens breve sit. eademque regula tertiae quam dicunt declinationis nomina illa vocali terminata omnia continentur, ita ut etiam *Agamemno* correpta ultima elatum sit in Agam. 514. sed in horum nominum uno ne arsin quidem ad producendum *o* satis momenti

Digitized by Google

habuisse bis observavi in dimetris anapaesticis, Med. 350 *Quid cum Siculi virgo Pelori*, item Thy. 857. porro eandem regulam secuntur quaedam vocabula quae cum natura casus ablativi fuissent, in adverbia postea abierunt. sic *sero* mensuram spondiacam servavit Phaedr. 135 et Herc. 865, trochaeus est Tro. 633 Agam. 993 Thy. 964. eadem condicione *subito* tribrachi mensuram adeptum est Phaedr. 1007 Tro. 171 443 1132 Agam. 470, anapaesti tenuit Oedip. 582. sed numquam nisi correpta ultima vocali posita repperi *imo ergo quando ecquando aliquando vero* (Phaedr. 1082). contra semper, si recte observavi, producto *o* dicta sunt *tuto ultro retro*. nam quod Herc. alt. 49 in paullo antiquioribus editionibus legitur, *Unde retro nemo*, falsum esse infra videbimus. denique *modo* vocabulum cum aliis locis omnibus correpta syllaba posteriore elatum sit (nam Thy. 249 recte e Florentino aliisque libris *si modo in nostra domo* recentiores editores restituerunt), vocalem finalem semel productam habet in Octav. 273 *Quae fama modo venit ad aures*, id quod iam animadverterunt Volgangus Reizius in Corrigendis ad Plauti Rudentem et postea Lachmannus ad Lucr. II 1135. neque enim dubium videtur quin correctorum sit quod in libro Cruseriano esse Isacius Pontanus testatur, *Quae modo fama*. sed rarissime haec de qua agimus correptio ad gerundiorum casus ablativos transiit, in Tro. 264 *Vincendo didici*, et in Herc. alt. 1862 *Lugendo facias*, quibus dandi casus addendus est in Oedip. 942, si quidem recte hic Hugo Grotius emendavit *Solvendo non es*. superest ut *duo* et *ego* semper correpta syllaba posteriore elata esse dicam. iam ut ad *i* finale transeam, huius litterae correptio certam sedem habet in voculis

Digitized by Google

mihi tibi sibi nisi ibi ubi, quam prosodiam conposita quoque *ubicumque* et *ubinam* semper tenent. nisi quod per arsis vim in *tibique* et *sibique* mediae syllabae productae sunt Oedip. 670 et 767. nam utrum *mihi* et *tibi* pronomina, sicubi in versuum anapaesticorum extremis dipodiis conlocantur (id quod in Hercule altero et in Octavia aliquotiens fieri observavi), dicenda sint posteriorem syllabam producere necne: id iam nunc diiudicari nequit. cohaeret enim cum alia quaestione, quam habebimus cum ad illos versus disputatio pervenerit. porro quod ad *a* litteram in nominum Graecorum fine correptam attinet, Lachmanni ad Lucr. VI 971 observationem repeto, cum dico *Phaedra* et *Electra* correptis vocalibus extremis a Seneca elata esse, item *Oechalia*, quod elisa vocali finali positum est Herc. alt. 422; contra *Megara* in Herc. 203 et 1009 Graeco more. praeterea memorabiles sunt hi nominativi, *Tiresia Pelia Laërta*, Latinam flexionem secuti brevemque ultimam habentes Oedip. 289 Med. 201 276 Tro. 700.

Jam de syllabis item finalibus sed quae consonantibus terminantur miscella quaedam notanda sunt. *sanguis* vocabulum cum correpta posteriore syllaba in his tragoediis efferri soleat, naturalem suam quantitatem servat in Med. 775 *Vectoris istic perfidi sanguis inest.* deinde *Oedipus* productam syllabam extremam habet in Phoenissis 313 *Hic Oedipus Aegaea tranabit freta.* quod nomen cum numquam ita in versu conlocatum sit, ut dactyli mensuram aequet, etiam ante litteram consonantem aut in exitu versuum illo modo a Seneca elatum esse credibile est. quam opinionem hoc, puto, confirmat, quod, etsi in Phoenissis 178 dictum est *audies verum, Oedipe* (quamquam hoc loco, cum non

Digitized by Google

nulli libri, veluti „veteres“ Commelini, *Oedipum* praebeant, hunc errorem non inepte suspicere non tam ex *Oedipe*, quam ex *Oedipus* scriptura natum esse), nullus tamen, si recte observavi, huius nominis casus oblicus invenitur qui ad secundam declinationem pertineat. sed dixit Seneca *Oedipodae* in gignendi et dandi casu Herc. 496 Phoen. 89 Oedip. 216, in ablativo *Oedipoda* Oedip. 943, *Oedipodam* (sic Florentinus) in accusandi casu Oedip. 1003. denique *hic* et *hoc* pronomina, sive in arsi sive in thesi posita sunt, semper Seneca producta esse voluit, nisi quod semel *hoc* corripuit in Phoenissis 551 *totus hoc exercitus*, *Hoc utrimque populus omnis, hoc vidit soror*, propter notam illam et Senecae quoque plerumque probatam in eiusdem vocabuli repetitione elegantiam.

V

Jam cum pauca ad modum eaque prorsus vulgaria sint quae de longarum syllabarum in mediis vocabulis correptione dicantur, his omissis ad syllabarum natura brevium eam productionem quam mutae cum líquida coniunctio efficit lubenter transeo. de qua re paullo distinctius disputare posse mihi videor quam fecit Fridericus Albertus Langius in quaestionibus metricis Bonnae 1851 editis, p. 24 sq. itaque in senariis iambicis communis regula haec est, ut illarum copulatio litterarum praegressam syllabam producat in arsi positam, in thesi latentem non producat. atque haec quidem productio praeter arsis pondus plerumque tamquam altero auxilio accentu quoque verborum adiuvatur in ipsa producta syllaba posito. nam in tribus arsibus primis, ubi

Digitized by Google

propriam sedem totum hoc productionis genus habet, tantum modo aut bisyllabarum vocum syllabae priores aut trisyllabarum quales sunt *tenebrae colubrae volucris lugubris pharetra latebra cerebrum*, mediae produci solent; quibus singulare exemplum addendum est e Phoen. 267 *Quod patricidam pudeat*, quo loco non principalis quidem, at secundarius certe compositi vocabuli accentus primae syllabae productioni una cum arsis pondere servit. porro in quinta arsi omnino non nisi unum huius productionis exemplum observavi in Herc. 626 *lugùbribus*. sed quae in quarta arsi producuntur communes syllabae, et vocum hyperbisyllabarum omnes sunt et verborum accentu semper carent, veluti *igne flāgrántes trabes*, *perāgráto cèler*, *sācrificas preces*. qualium ego exemplorum in tanto senariorum numero undecim repperi. sed haec omnia et cum spondeorum anapaestorumque a locis paribus excludendorum studio et cum caesurarum tum stichicarum tum podicarum legibus et cum aliis senariorum elegantiis, quas postea disputatione persequar, artissime cohaerent. verum illa quam initio exposui communis regula quasdam exceptiones habet. et primum quidem cum quinto senariorum loco iambum poeta defugeret, in quinta thesi vocabulorum bisyllaborum communes syllabas plus quinquagiens produxit, quasi in arsi conlocatae essent, trisyllaborum vero numquam, hypertrisyllaborum, si recte observavi, quinquiens. deinde verba hyperbisyllaba ea quorum paenultima brevis est, qualia sunt *proprius patrius patruus lacrima duplicis reprime reciprocus*, antepaenultimam quoque, sive ea in thesi sive in arsi posita est, numquam non correptam habent. quorum consuetudinem non mirum

Digitized by Google

est quod etiam *lacrimandum* sequitur in Phaedra 881 *perire lacrimandum suis*, quam lectionem e Florentino aliisque libris restituit I. F. Gronovius: antea enim hic legi solebat *perire dum lacrimant sui.* denique in quibusdam vocabulis notissimum est communium syllabarum quantitatem quodam poetarum usu ita sancitam fuisse, ut earum aut correptio aut productio legitima vel etiam constans esset. itaque quod hunc Seneca morem plerumque tenuit, id communi regulae minime repugnat. sed idem poeta deflexit aliquotiens ab illa plerisque poetis probata consuetudine. qua in re memorabile est eum Graeca nomina *Hebrus Cyclas hydra* correptis syllabis prioribus extulisse singulis exemplis in Hercule altero 19 803 914 in trimetrorum exitu, cum ceteris locis omnibus alteram horum nominum quantitatem usu receptam tenere mallet. in eadem fabula *fibra* vocabulum correpta syllaba priore ter ponitur in senariorum exitu, versibus 947 1221 1277, quod qui praeter Senecam fecerit solum Manilium novi; in Thyeste autem et in Oedipo et in Agamemnone (in reliquis enim fabulis non inveni hoc vocabulum) semper producta prior syllaba est. neque est indignum mentione quod iam F. A. Langius observavit in quaest. metr. p. 25, cum ipse Seneca in hisce sex tragoediis, Hercule Thyeste Phoenissis Phaedra Troasin Medea hanc sibimet legem scripsisset, ut *retro* vocabuli syllabam priorem semper produceret, eundem in Oedipo Agamemnone Hercule altero iambicam illius adverbii mensuram spondiacae praetulisse. in Octavia autem nusquam invenitur hoc vocabulum. quae adhuc disputavimus pleraque omnia ad senarios pertinebant: relicum est ut metris lyricis minus in hac quidem re cautionis Senecam adhibuisse di-

Digitized by Google

cam. in quibus communes syllabae cum in arsi tum in thesi, prout singulorum versuum ratio flagitabat, productae sunt. verum quod semper non modo in senariis, sed in qualicumque versuum genere diligentissime evitavit, ne quando vocis hyperbisyllabae paenultimam brevem habentis antepaenultimam syllabam mutae et liquidae positu produceret, id semel poetam admisisse in Hercule altero 195 *Cypria lacrimas Myrrha tuetur*, nullo modo adducor ut credam. quae lectio quamquam e codice omnium optimo prodiit, tamen quia aliunde quoque in suspicionem venit, ut adparebit cum de versibus anapaesticis disseram, sine cunctatione reicienda est. sed hoc in illam partem disputationis differam.

Posteaquam de brevium syllabarum in mediis vocabulis productione quae necessaria videbantur exposuimus, pauca de syllabis concursu binarum vocum extensis dicenda restant. notissimum est enim cavisse plerumque poetas, ne vocabulorum breves vocales extremas ante vocem ab *sc* vel *sp* vel *st* litteris incipientem corriperent. neque vero productionem earum adamarunt. et Seneca quidem non nisi bis ea usus est in arsi, Herc. 950 *quidquid autumnus gravis Hiemsque gelido frigidā spatio refert*, et Phaedr. 1026 *omnes undiquē scopuli adstrepunt.* sed cum aliis locis omnibus huius modi et correptionem et productionem evitandi certum studium adpareat (constanter enim voces ab illis consonarum coniunctionibus incipientes aut syllabas littera vocali longa vel consonante terminatas secuntur aut initium versus occupant aut ita denique conlocantur, ut praegressae vocalis quantitas per ipsum metrum ambigua sit), cumque nulla alia litterarum consonantium copulatio ad producendam vocalem fina-

Digitized by Google

lem antecedentis vocabuli vim habeat (Bothio enim suum illud *armate brachia* in Oedipo 405 lubenter condonamus): ne illis quidem duobus productionis exemplis satis fidei me tribuere fateor. quorum prius me iudice non infeliciter temptavit Withofius Praemet. p. 82, scribendo *Hiemsque gelido fulgidum spatio refert.* alterum autem facillimum erat hoc modo declinare, *omnes adstrepunt scopuli undique.*

VI

Sequitur ut de accentu verborum cum numerorum rationibus exaequando dicatur. quam quidem rem etsi non ignoro perquam lubricam esse atque eam, de qua qui rei metricae vel in primis gnari sunt magno opere inter se dissentiant, tamen praetermittere non possum, quippe quae ad perspiciendam Senecae artem et ad munus criticum in eius tragoediis administrandum necessaria sit. sed huius poetae consuetudinem ut quam possum accuratissime explanabo, ita aliis rebus quae ad totam quaestionem pertinent me abstinebo: de quibus etiam si vellem plene iudicare, non possem.

Senariorum igitur iambicorum Senecae longe maximam partem in voces iambicas vel pyrrhichiacas exire multi sunt qui animadverterint. quarum vocum generalem frequentiam recte me ita definiturum puto ut, cum prima fabula senarios mille et quadraginta duos contineat, ex his circiter octingentos et octoginta bisyllabis istius modi vocibus terminatos esse similemque in reliquis fabulis proportionem deprehendi dicam. rursus autem ex illo quem indicavi trimetrorum in vocem bisyllabam desinentium numero plus trecenti quadraginta

Digitized by Google

ita conparati sunt, ut proximo quoque ante sextum pedem loco item bisyllabam vocem spondei mensura conprehensam habeant ideoque in binas bisyllabas exeant; cum ceteri plerique certas quasdam hyperbisyllabarum vocum formas, de quibus postea videbimus, recipiant. quae omnia quam causam haberent recte vidisse mihi videntur Henricus Weilius et Ludovicus Benloevius in libro quem de sermonis Latini voculatione conscripserunt, p. 76: quibus quae Petrus Langenus in annalium philologicorum tomo LXXVIIII, p. 52 opposuit, haec tantum abest ut illorum sententiam refellant, ut conprobent. dicunt igitur illi curasse Senecam, ne duos senarii pedes extremos vocabulorum incisione interrumperet, sed ut consociatis quoad eius fieri posset et vocabulorum et versuum pedibus numeri iambici naturam isto loco magis in aures inpingeret. neque mihi dubium videtur quin hoc studium, ut ipsi Weilius et Benloevius p. 247 coniecerunt, cum Graecorum tragicorum imitatione quadam, sed nimia cohaereat. sed haec melius intellegentur cum reliquos quoque senariorum exitus descripsero. itaque praeter voces bisyllabas nullam vocabulorum formam in trimetrorum fine saepius inveniri cretico observavit iam F. A. Langius quaest. metr. p. 25. idemque recte animadvertit vocum illarum cretici mensuram aequantium longe plurima exempla ita conparata esse, ut a vocali inciperent, cum antecedens vox aut vocali aut *m* littera terminata esset, hoc modo, *promissa occupet, ostendam inferos.* nec nisi raro pro tanta senariorum multitudine tales exitus inveniuntur, *voces amove*, *penates Labdaci*, *acies luminum.* verum in causam huius rei inquirentem Langium prorsus fefellit opinio. qui elisionis illius ante voces

Digitized by Google

creticas frequentiam ita explicandam putavit, ut magno opere Senecam studuisse diceret, ne senariorum quinta thesis quoad fieri posset umquam accentu vocabulorum careret: qui in verbis amissione ultimae vocalis decurtatis cum posset retrahi, ob illam ipsam causam consulto non retractus esset. qualem legem si statuisset sibi poeta, ei hypermonosyllaba tantum vocabula ante voces creticas evitanda fuisse adparet. sed non frequentiores tales trimetrorum exitus sunt, *vis ignium*, *dux impius*. atqui his illa quam Langius invenisse sibi visus est accentus lex nullo modo obstitit. deinde praeter voces iambicas et creticas non numquam eae quoque, quae epitriti tertii mensura conprehensae sunt aut in hunc pedem exeunt (alias enim quae rariores etiam sunt taceo) senariorum finem occupant: quod quotiens fit, quinta thesis accentu vocabulorum numquam non destituta est. his igitur argumentis, quae augere poteram si necessarium visum esset, illam Langii observationem per se rectissimam ex alia causa suspensam esse patet. neque eam difficile est eruere. etenim cum Graecorum tragici, id quod longe notissimum est, fere cavissent, ne ante quintam arsin trimetri iambici vocem hypermonosyllabam longa syllaba terminarent, qua verborum dispositione duriorem numerum fieri perspicuum est, hanc Seneca legem consolita in imitatoribus diligentia ita tenuit, ut etiam monosyllabam vocem isto loco senarii plerumque evitaret. sed idem quia, ut infra videbimus, et iambum a quinto pede senarii excludendum neque anapaestum temere et quavis condicione admittendum putavit, brevi syllaba vocabulum ante quintam arsin finire (quod quidem Graeci non habebant cur defugerent) non potuit. qua-

Digitized by Google

propter vocibus creticis, quas omnino a trimetrorum exitu prohibere et propter earum in sermone Latino frequentiam non potuit et ut vitaretur artis ieiunitas noluit, cum hoc certe temperamento fere usus est, ut earum cum praecedenti voce per synaloepham coniunctione duritiam numeri quodam modo mitigaret. quod re vera ita esse septenarii quoque trochaici conprobant. in quibus cum item Seneca Graecorum vestigiis tragicorum insistens hanc sibimet legem scripsisset, ut ante ultimam dipodiam non modo verbum hypermonosyllabum, sed ne monosyllabum quidem longa syllaba terminaret (brevi autem uti ob alias causas nequiit), eam legem non nisi bis migravit, in Phaedra 1206 *rapite in altos gurgites*, et in Oedipo 223 ita ut numeri tarditas vocalium coitu delitesceret, *auditu horrida*. quis enim dicet hic quoque curasse Senecam, ut sexta thesis accentum vocabulorum haberet? haec paullo enarratius tractavi, ut plenius intellegeretur qui factum esset quod initio huius disputationis observavimus, ut omnium longe frequentissimae in exitu senariorum voces bisyllabae essent. cum eisdem autem numeri iambici rationibus cohaeret quod dicendum restat, quod rarissime binae voces monosyllabae in finem trimetrorum admissae sunt. notavi haec exempla, *quid hic* Phoen. 234, *et hinc* ibidem 495, *et hic* Phaedr. 713, *ad hos* Tro. 42. nam *ausus est* in Hercule priore 1162 et in altero 939, *quis est* ibidem 1206 et 1351, *sat est* in Tro. 56 475 et in Herc. alt. 870 1354 1826 1858, vix possunt in eodem numero referri, quibus exemplis verbum substantivum cum antecedenti vocabulo tamquam coaluerit.

Venimus ad proximum a fine locum senarii, in quem

Digitized by Google

iam antea breviter oratio incidit. eo igitur loco vocabula spondiaca et anapaestica et molossica et choriambica et quae ionici a minori mensura conprehensa sunt saepissime conlocantur in ultima syllaba acuta; multo rarius ea quae epitritum primum aequant, qualium vix quinquaginta exempla in his tragoediis inveniuntur; rarissime denique longiora vocabula ea quae in choriambum exeunt. quorum vocabulorum singula exempla subscripsi, ut perspicuitati consulerem:

. . . . . *caelúm tenent*
. . . . . *superós refert*
. . . . . *láxatúr dies*
. . . . . *praéripiét patri*
. . . . . *álienúm Jovem*
. . . . . *lacértorúm moras*
. . . . . (*secúrigerá manu*).

in eorum autem verborum numerum quae mensuram ionici a minori habent, simul paucissima ea veniunt, quae, quamquam Bacchium ipsa referunt, cum praegressa brevi vocula monosyllaba tam arte cohaerent, cum ea ut in illius pedis mensuram quasi coalescant. qualia sunt Herc. 56 *in apertó iacent*, Phoen. 330 *ét amoris pii*; ad quae infra disputatio recurret. omnia autem illa de quibus dixi vocabula proximo ante finem loco senarii hac paene constanti condicione posita sunt, ut ipsum finem vox iambica teneat. a qua condicione liberi sunt primum quattuor illi versus, in quorum pedem ultimum binas voces monosyllabas intrasse paullo antea memoravimus. deinde eodem loco vocabulum iambicum admissum est ante vocem quadrisyllabam semel in Octavia 835 *nec capit clementiam*, bis in Phoenissis 191 et 206, sexiens in Hercule altero 804 1273 1380

Digitized by Google

1389 1485 1650, cum in reliquis fabulis omnibus ne unum quidem huius modi exemplum extet.

Eadem autem condicio qua voces spondiacae et anapaesticae longioresque in proximum ante finem locum intrarunt praeter accentus leges, ad tertium a fine locum pertinuit: quo voces iambicae fere non nisi ita admittuntur, ut et paenultimum locum spondiacae vel anapaesticae et ultimum iambicae eadem omnes oxytonesi elatae occupent hoc modo, *minás vultú gerens, levém populis metum.* a quibus exemplis non multum differunt quae in quinto pede binas voces monosyllabas habent, veluti haec, *dum priór, quo vis, eo,* et, *tuám mortem aút meam.* sed talia quoque inveniuntur, *nimis saeva ímpero, scelús sceleri íngerit, diú cur innocens;* qualem licentiam in Hercule, ut huius me fabulae finibus contineam, septiens sibi indulsit poeta, cum in eadem tragoedia amplius quinquaginta exemplis voces iambicas ita conlocaret, ut a binis vocibus exciperentur item oxytonis. unde qua sibi ratione illud licitum putaverit facile perspicitur. porro quod eodem loco senarii vocabula proceleusmatici vel quarti paeonis mensura conprehensa in prima syllaba et in ultima poeta acuit, id ex communi poetarum consuetudine factum esse neque ulla excusatione egere constat. atqui ne haec quidem fere aliter ponuntur nisi ita, ut sequantur binae voces oxytonae, hoc modo, *fácinorúm laudém precor, mémoriám revocát nota.* rarissimi enim tales senariorum exitus sunt, *sónipedés mente éxciti* in Phaedra 1082, *cineribús Polýxena* in Troasin 195; qualium quinque praeterea exempla repperi in Herc. alt. 1756 1823 et in Octavia 103 442 630. sed in hoc numero recte insuper haec duo numerabimus, Thy. 415

Digitized by Google

Fulgore non est quod oculos falso auferat, et Oedip. 766 *sed animus contra innocens*, ubi *quód oculós* et *séd animús* pro singulis vocibus sunt. inter utrumque autem genus tamquam media haec sunt, *Pélopiaé pars ést domus* in Thy. 641, *Dánaidés nota ést satis* in Tro. 757, *scéleribús tutum ést iter* in Agam. 115. ceterum extra eum locum senarii eundem horum vocabulorum accentum perraro observavi, quater in exitu trimetrorum, Med. 266 *machinatrix fácinorum*, Herc. 408 *omnis mémoria*, item Oedip. 847 et Med. 268; semel in septenarii trochaici initio, *Dánaides, coite* in Med. 749. contra altero in tertia a fine syllaba accentu eius modi vocabula praedita sunt Oedip. 240 *Functi cinéribus regis*, ibidem 768 818 937, Med. 556 *Memória nostri.*

Ipsi vero tertio senarii pedi nulla umquam vox ita inmissa est, ut acueretur praeter linguae consuetudinem, nisi quod *nescio* verbum accentum rhythmicum ter in media syllaba habet, Phaedr. 1019 *nescio quid onerato sinu*, Oedip. 334 *Pudet deos nescio quid*, Herc. alt. 752 *Urit lues nescio qua.* quibus exemplis utrum inusitatiorem hunc accentum probem an *nescio* verbum per synizesin spondei mensuram adeptum esse dicam dubito.

Jam ut ad priorem partem senarii veniamus, in secundum pedem vocabula iambica ea potissimum condicione intrarunt, ut in primo pede vocabulum item oxytonum praecederet. multoque rariora ea exempla sunt, quibus haec binorum oxytonorum continuitas declinata est. in ipsum autem senarii initium omnium saepissime vocabula spondiaca admissa sunt, rarius, sed ut et ipsa satis frequentia essent, iambica et anapaestica. his autem postremis recte talia quoque adnumerabimus, *Bene habét* Herc. 1035 et Oedip. 998, *Fer*

Digitized by Google

opém Phaedr. 726, et similia Thy. 221 322 324 758 Tro. 686 Herc. alt. 419 1821 (si recte hic legitur *Ubi enim negata est*). deinde voces dactylicae in media syllaba acutae reperiuntur Herc. 995 *Vulnére relicto*, et 1163 *Hercúle reverso*, item Thy. 85 486 741 891 Phoen. 52 283 Phaedr. 148 697 1077 Tro. 204 808 809 1101 Med. 706 Agam. 509 660 918 993 Herc. alt. 273 1263 Octav. 146 638 789. quibus exemplis vix videntur quattuor ea adicienda esse, ubi *nescio* in senariorum initio positum est, Herc. 1148 *Nescio quod animus*, item Thy. 267 Herc. alt. 718 745. nam in eis quidem nihil impedit quo minus *nescio* in spondeum abisse dicamus. sed vocis trochaicae in senarii initium admissae ad modum memorabile est unicum exemplum extare in Oedipo 263 *Qnidquid ego fugi.* nam quod Herc. alt. 49 legebatur, *Undé retro nemo*, in recentioribus editionibus Florentini codicis huic lectioni cessit, *Unde omne retro est.* verum ne ea quidem ullo modo mihi placet: cuius artificiosam magis quam veram explicationem J. F. Gronovius portulit. itaque fortasse poeta sic scripsit, *inde ad hunc orbem redi, Nemo unde rediit.* tribrevis denique vocis in media syllaba acutae item unum quidem exemplum est in Medea 924 *Anime, parandum est.* sed hoc J. F. Gronovio debetur, non poetae. hunc ipsum autem e librorum memoria facile perspicitur ita scripsisse, *ultimum, agnosco, scelus Animo parandum est.*

Restat ut duos senarios adferam, quos intolerabili accentus vitio laborare iam Bothius intellexit. et Medeae quidem versus 267 cum pessime vulgo sic inciperet, *Cui féminéa nequitia*, ab illo transponendis verbis rectissime ita sanatus est, *Feminea cui nequitia.* sed in Herc. alt. versu 1794, qui similiter deformatus est,

Digitized by Google

Pelex supersum, supplicia de qua exigat (pro hoc autem verbo in Florentino est *expetat*) non possum adprobare quod idem Bothius proposuit, *Pelex supersum: digna supplicia expetat;* quae sententia rationi totius loci parum convenit. ego autem non mihi videor temerarius esse cum fortasse a manu poetae haec prodisse dico, *Pelex supersum: pelicis cladem expetet.*

Senariorum vero iambicorum huic quam tractavimus arti prorsus ea respondet, qua septenarii trochaici elaborati sunt. quam tamen eo brevius potero absolvere quo rarius in Senecae tragoediis hoc versuum genus est. quod si crebrius inveniretur, non dubito quin paullo maior esset eius in accentuum ratione varietas. sed generalem poetae consuetudinem etiam ex parvo numero versuum cognoscemus. itaque septenarii quoque plerique in voces iambicas desinunt; easque vocabula spondiaca anapaestica molossica choriambica antecedere solent. neque spondiacarum vocum vel anapaesticarum binis iambicis interpositarum exempla desunt. hasce igitur formas septenariorum exitus habent, *vastúm mare, thalamós novos, tórpentés lacus, Taénarei specus, nová natúm nece, trucém fremitúm dedit.* iam ut ad priorem septenarii partem quae est ante caesuram, transeam, penthemimeris iambicae primus tantum pes vocem oxytonam eamque vel spondei vel anapaesti mensura conprehensam recepit hoc modo, *Pallidi | faucés Averni, Supplicis | animaé remissis* (Med. 743). ipse autem creticus qui penthemimeri iambicae praemissus initium septenarii efficit, formam vicariam eam recipit quae paeonem quartum refert (*Dánaides | coite*) aut e duobus vocabulis constat quorum prius monosyllabum est, alterum iambicum in posteriore syllaba acu-

Digitized by Google

tum (*Nunc meis | vocata sacris*) aut ita denique formatur, ut vocem trochaicam vel tribrevem vocabulum molossicum sequatur in prima et in ultima syllaba acutum perque creticum et penthemimerin iambicam continuatum (*Tórpor in | sedit per artus, Gémina Par | nassi nivalis*). nam de cretico cretica voce conprehenso deque eius aliis quibusdam formis, in quibus accentus vocabulorum cum rhythmico congruit, nobis non esse disputandum adparet.

Ultra septenarios autem trochaicos hac disputatione non progrediar. etenim ea tantum persequi mihi proposueram, unde et artem poetae adumbrare et quaedam rei criticae adiumenta subministrare possem. reliquorum autem metrorum in accentu vocabulorum aut observando aut neglegendo non tam certa norma est. neque vero ullum illius cum ictu rhythmico exaequandi studium in dimetris anapaesticis et in dactylicis tetrametris conparere videtur. ex illa autem expositione mea hoc, puto, perspicuum est, in Senecae senariis septenariisque minores accentuum licentias esse quam in eisdem Plauti versibus. idemque de Phaedri trimetris Petrus Langenus adfirmavit in musei Rhenani tomo XIII p. 197. itaque non satis recta ratiocinatione Guilelmus Corssenus usus est in libri sui nuper editi tomo altero p. 410. qui cum id studeret, ut accentus vim in poetarum Latinorum versibus iambicis et trochaicis magis magisque auctam esse ostenderet, huic tamen observationi unius Senecae tragoedias repugnare contendit. ad quam ille opinionem eo pervenit quod diversis harum fabularum partibus pari numero senariorum ad calculos vocato omnia accentus grammatici cum ictu pugnantis exempla generaliter conputavit. at illud non quotiens

Digitized by Google

factum esset, sed quibus versuum locis quibusque condicionibus, inquirendum erat.

VII

Quoniam autem senariorum iambicorum trochaicorumque septenariorum artem superiore capite ab una certe parte tractavimus, nunc eorundem versuum naturam describere ita pergemus, ut de ipsis pedibus metricis quales quibus rationibus admissi sint exponamus. atque in senariis quidem illud quo permultae de prosodia observationes nitebantur, hoc est, quod Seneca a sedibus paribus non modo spondeum, ut Graeci, verum omnes etiam alios pedes exclusit praeter ipsum iambum et qui secundo certe et quarto loco eius vicem saepissime tenet tribrachum: unde paucos senarios, veluti Med. 517, corruptos e libris prodisse patet. sed ne tribrachus quidem a quavis condicione liber est. fere enim curavit poeta, ut arsis solutio in uno vocabulo fieret. raroque in eam quarto senarii loco binae voces admittuntur, quae quam arte inter se cohaereant plerumque iam ab accentuum ratione, de qua satis antea dictum est, perspicitur. pertinent huc quae sunt in Herc. 56 *Et sacra dirae mortis in aperto iacent*, in Phoen. 330 *magister iuris ét amoris pii*, in Thy. 20 *faciat ét inausa audeat*, item Phaedr. 501 Oedip. 61 330 622 969 Tro. 682 981 987 1001 1158 Agam. 884 Herc. alt. 1441 Octav. 501. quod vero Herc. alt. 981 in editionibus legitur, *Et quidquid aliud restitit. ab illis tamen Coniux redisti*, id falsum esse vel hinc intellegitur, quod quae solutae quartae arsi vocabula inmissa sunt, gravi interpunctione divelluntur. neque vero illud Florentinus

Digitized by Google

praebet, sed hoc, *aliud cessit.* itaque ut expleatur versus, aut quod I. F. Gronovius poetam scripsisse coniecit, *cessit. et ab illis tamen*, recipiendum est, aut quod Bothius proposuit, *cessit. a bellis tamen.*

Ad inpares autem senarii locos ut transeam, in prima sede longe frequentissimi spondeus et anapaestus sunt. sed anapaestus plerumque aut uno vocabulo fit aut duabus vocibus ita formatur, ut altera anacrusin, arsin altera teneat. multo plus offensionis recte putatur is anapaestus habere qui e binis vocabulis constat quorum prius in media anacrusi finiatur. quales anapaestos a Plautina arte abhorrere adfirmavit Fridericus Ritschelius in praefatione Mil. glor. p. XXII, eisdemque Phaedrum fere abstinuisse Langenus animadvertit in mus. Rhen. t. XIII p. 202 et 203. verum Seneca quidem primo senariorum loco carere hac licentia noluit. cuius licentiae decem exempla iam superiore capite cum de vocabulis anapaesticis in senariorum initio positis disputabam, ob aliam causam attuli, quae hic repetere nolo. praeterea autem huc pertinent *Quod utérque faciat* (ita enim Florentinus) in Thy. 272, ibidem 743 et 1048 *Per utrúmque* et *Quis inhóspitalis*, hisque simillima Herc. 48 236 661 699 793 978 1187 Phoen. 110 383 449 461 489 551 575 Phaedr. 108 119 168 539 569 948 Oedip. 361 379 680 1022 Tro. 179 609 940 986 1064 Med. 43 Agam. 279 Herc. alt. 372 548 Octav. 844. atque adeo ex ternis vocabulis anapaestus non numquam conpositus est, Herc. 66 247 1341 *Nec in ástra*, *Nec ad ómne*, *Sed et ille*, item Thy. 748 Phoen. 255 370 394 577 Med. 285 Herc. alt. 963 et 1808, quo versu recte I. F. Gronovius emendasse videtur *Ut et hóc daretur.* spondeo autem anapaestoque in prima sede

Digitized by Google

senarii rariores iambus et dactylus sunt. atque dactyli quidem arsis in tanto trimetrorum numero semel in duas voces divisa est Oedip. 263 *Quidquid ego fugi*, quem locum iam superiore capite propter accentus insolentiam notavimus. porro tribrachi in senarii initio positi vix quadraginta exempla inveniuntur; nec umquam soluta arsis e duabus vocibus conposita est. proceleusmaticus denique, quem ab aliis senarii locis ars poetae prorsus exclusum esse voluit, ne in primam quidem sedem plus quam undeviciens admissus est. quorum exemplorum unum in verbo quinque brevium syllabarum fit Phaedr. 1275 *Patefácite acerba.*, ad reliqua autem quamquam plures Seneca voces adhibuit, idem tamen in omnibus duas sibi observandas esse leges existimavit, alteram hanc, ut verborum incisione a binis syllabis prioribus posteriores binas seiungeret (cuius rei causam in accentuum rationibus sitam esse Ritschelius docuit in prol. Plaut. p. CCLXXXVIIII), alteram hanc, ne rursus posteriores syllabas quae solutae arsis sunt simili verborum incisione distraheret, sed ut una voce conprehenderet, veluti Thy. 289 *Nisi cápere vellet*, Phaedr. 164 *Scelus áliqua tutum*, Tro. 945 *Vide ut ánimus ingens*, quibus plane respondent cetera exempla Phoen. 44 221 352 Tro. 36 168 413 457 572 1146 Med. 488 670 Agam. 280 Herc. alt. 1743 Octav. 118 120.

Progredior ad tertiam sedem senarii. in qua principatum, ut ita dicam, spondeus tenet. quo quod multo rarius iambus usurpatur, id hanc causam habet, quod hoc pede tertium locum occupante minus stabilis versus est. atque tunc potissimum eius decursus paullo levior pro trimetro tragico fit, quem grammatici dicunt spondeorum alternatione insignem esse, cum et primae

Digitized by Google

sedi et tertiae simul iambus inmittitur neque hanc infirmitatem gravior aliqua interpunctio cum caesura in medio pede tertio coniuncta quodam modo obscurat. quod recte quidem Bothius perspexerat, sed idem in damnandis eius modi versibus nimius fuit neque tamen ubique sibi constitit. veluti Herc. 390, qui versus sic procedit, *Riget superba Tantalis luctu parens*, cum Grotius ad marginem exemplaris sui adscripsisset *superbo*, id Bothius in adnotatione (Badenum enim qui hanc coniecturam adeo in ordinem recepit non curo) cupide arripuit, quia et elegantius esset et versum „τραγικώτερον" redderet. verum Grotii opinionem iam J. F. Gronovius recte, etsi fortasse non satis perspicue, refutaverat: quem non, ut Bothio visum est, ratio fugit, cum verba *Tantalis parens* quam vim haberent nisi *superba* adiunxisses, parum se videre diceret. quae enim v. 385 sententia prolata est, *Sequitur superbos ultor a tergo deus*, ea uberius etiam sequentibus versibus explicatur enumerandis hominum exemplis qui suapte superbia in acerbitates incurrerint. ergo superbam vocari ipsam Nioben plane necesse erat. minus etiam causae Bothius habuit cur eiusdem fabulae versum 619 *An ille domitor orbis et Graium decus* in suspicionem adduceret. tales enim senarii ut raro inveniuntur, ita minime prorsus evitati sunt neque propter hanc unam causam sollicitari debent. multo vero magis, licet primam sedem spondeus occupet, versus debilitatur cum tres voces trochaicae nulla orationis institione diremptae deinceps sese excipiunt. quam quidem rem etsi iterum Bothius laudandus est quod perspectam habuit, idem tamen temere fecit quod senarios isto modo incedentes a Seneca prorsus abiudicavit. quales

Digitized by Google

versus ut rari ita certi sunt his exemplis, Herc. 454 *Num monstra saeva Phoebus aut timuit feras?* (quem ad modum scriptum est in Florentino), Oedip. 842 *Nec rursus iste vultus ignotus mihi,* ibidem 978 *Rigat ora foedus imber,* et 1009 *Et haeret ore prima vox* (quam lectionem optimorum librorum Florentini et Melissei auctoritate firmatam ipse Bothius tacitus recepit). hisque exemplis simillima alia sunt Phaedr. 465 688 909 (quamquam lenissima hic est a Bothio prlata verborum transpositio) 1232 Tro. 8 Med. 431 730 Agam. 277 278 Herc. alt. 735 Octav. 114 115. itaque ne in Herculis quidem versu 592 *O lucis alme rector et caeli decus*, satis causae erat cur Bothius *lucis almae* ex editione Caietani reponeret. quamquam versum hac lectione stabiliri concedendum est. atque hoc plerumque fit, cum tres isto senarii loco voces bisyllabae ponuntur continuae, ut inter primam et tertiam trochaei mensura conprehensas media intercedat vox spondiaca mole atque gravitate sua versum conroboratura. sed latius etiam fuga numeri trochaici patuit. etsi enim minorem certe molestiam tales versus habent, in quibus terni trochaei sunt continui, sed non illi trochaicis omnes vocibus inclusi, veluti Herc. 47 650 *Effregit ecce limen inferni Jovis, Memorare cogis acta:* tamen ne eos quidem crebro Seneca sibi admittendos putavit. qualium similes erant Thy. 674 et Phaedr. 668, quibus supra cum de elisione disputabam verborum traiectionem adhibui. praeter spondeum et iambum tertia senarii sedes dactylum adscivit. in cuius tamen arsin binae voces non admissae sunt nisi bis terve, et primum quidem in Thyeste 415 *Fulgore non est quod oculos falso auferat*, quo versu verba *quod oculos* tam

Digitized by Google

arte cohaerere ut tamquam in unam vocem paeonicam coaluerint superiore capite demonstratum est. nec plus offensionis alterum in eadem fabula 640 exemplum habet, *Non quaero quis sit, sed uter.* verum Agam. 795 Senecam nego scripsisse, *Hic Troia non est. Ubi Helena est, Troiam puto*, cum facillimo negotio et duriorem hanc dactyli rationem vitare et ei nomini, in quo primaria vis est sententiae, ab accentu quoque gravius pondus addere posset hoc modo, *Hélena ubi est, Troiám puto.* rarior dactylo in hac sede tribrachus est. sed temere Bothius ad Herc. 1005 contendit vix usquam in iambicis senariis tragicorum tertio loco hunc pedem inveniri. qui in sola Hercule, ut huius me fabulae finibus contineam, duodeciens vel etiam saepius occurrit, versibus 63 229 275 375 409 425 688 736 963 1005 (ubi Bothius, ne tribracho locum concederet, elegantissimam Florentini lectionem sprevit) 1043 1255. sed unicum omnino exemplum ita conparatum est, ut soluta arsis e duobus vocabulis constet, Oedip. 766 *Superi inferique. sed animus contra innocens,* quem et ipsum versum iam superiore capite memoravimus. qualem senarium fecit philosophus quoque Seneca, *Non quare et unde, quid habeas, tantum rogant.* etenim, ut id hac occasione commemorem, qui in illius epistularum moralium lib. XVIII 4 11 et XVIIII 6 14 et in eiusdem de morte Claudii ludo VII 2 insunt senarii iambici, hi in multis atque singularibus rebus cum Senecae tragici trimetris consentiunt neque eorum ulli legi repugnant: unde eadem utrumque arte usum esse adparet. nemo enim philosophi corruptum illum versum opponet, *Bene moritur, quisquis moritur, dum lucrum facit.* quem recte fortasse emendavit Langius

Digitized by Google

in quaest. metr. p. 28. sed ad propositum redeo. superest enim, ut anapaesti tertium locum tenentis condicionem exponam. eum igitur Seneca memor ut videtur Graecorum tragicorum in admittendo hoc pede severitatis, non sibi indulsit nisi in vocibus quadrisyllabis quae paeonis tertii mensuram habent, ut Herc. 332 *Urbis regens opulenta Thebanae loca.* sed vel sic ad modum modeste anapaesto usus est; cuius reliqua exempla sunt Thy. 759 1063 1100 Phoen. 166 312 604 625 Phaedr. 425 1039 1235 Oedip. 517 776 792 Tro. 307 494 516 631 904 942 1148 1172 Med. 676 897 911 912 949 Herc. alt. 405 715 (hic enim Florentinus *Quis tam impotens, miseranda*) 1319 1737 Octav. 708 737. haec autem lex neglecta est in solius Octaviae versu 447, ubi duo vocabula quamvis arte inter se coniuncta in anapaestum admissa sunt, *Aetate in hac satis esse consilii reor.*

Quinto denique loco senarii spondeus et anapaestus regnant. sed anapaestus ut maiorem hic quam tertio loco libertatem habet, ita multo severioribus condicionibus quam in prima senarii sede adstrictus est. qui cum longe saepissime in singulis vocabulis conclusus sit, binae eum voces numquam faciunt nisi ita, ut altera anacrusin, arsin altera teneat. accedit quod eae ipsae voces tantum non constanter per synaloepham inter se coniunctae sunt: unde rursus illud conprobatur quod capite superiore de caesurae podicae ante quintam senarii arsin obscurandae ratione exposui. e binis autem vocibus illis quae admitti in anapaestum solent, prior plerumque ab ipsa huius pedis anacrusi incipit hoc modo, *pertinax animo abnuet, regias egone ut faces.* multoque rarius vocabulum per sedes quartam et quin-

Digitized by Google

tam continuatum est, veluti Herc. 310 358 Thy. 678 *magnanimi Herculis*, *exitium ac lues*, *superstitio inferum*. iam enumeranda ea exempla sunt, quibus binae voces per synaloepham non coniunctae anapaestum faciunt. huc autem vix talia pertinent, *mala sit mea*, *non satis est adhuc*, *vetus est malum* Thy. 1088 Phoen. 354 Tro. 43, et huius modi cetera Oedip. 970 (ubi recte Bothius ex editionibus veteribus *quam satis est furit*) Med. 126 Herc. alt. 246 481 Octav. 452; in quibus verbi substantivi formae monosyllabae cum praegresso vocabulo bibrevi in voces anapaesticas quasi coaluerint. sed quae vere observationi nostrae adversentur paucissima haec exempla sunt, *caret Hercule* Herc. alt. 406, ibidem 757 *feror obruta*, et 1847 *daret Hercules*, Octav. 393 *genus impium*. his autem exemplis num quinque ea addam, in quibus anacrusis non ab integro vocabulo incipit, sed cum praecedenti arsi quarta cohaeret, dubito. quae cum memorabile sit omnia in solo *nescio* verbo fieri, huius verbi synizesin illi licentiae praelatam esse mihi similius veri videtur, Herc. 1147 *nescio quod mihi*, Phaedr. 858 *nescio quid tegunt*, item Oedip. 925 Med. 917 Herc. alt. 1346. porro iambum, quem post Bentleii et Ritschelii observationes Langius in quaestionibus metricis exposuit a plerisque Romanorum poetis quinto trimetrorum iambicorum loco cum cautione pro spondeo positum esse, Seneca, ut multi iam animadverterunt, non sibi indulsit nisi sex exemplis. Thy. 115 *Phoronides*, Med. 512 *Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus*, ibidem 709 *Promethei*, Herc. alt. 804 *Capharides*, Tro. 195 *Polyxena*, et 1080 *cuius e cacumine*. quae unde omnia excusationem habeant, facile perspectu est. in sexto tamen exemplo vehementer Langius quaest. metr.

Digitized by Google

p. 24 offendit idqne nisi e glossemate in *fastigio* vocis locum inrepsisset summae tantum scriptoris neglegentiae tribuendum esse censuit. verum hoc quoque exemplum una cum reliquis primariam ab ipsa mensura sua veniam habet. qua si quis parum contentus est, cum ceteris exemplis aliae insuper defensiones paratae sint, is licentiae causam a variandae orationis studio deducere poterit. nam versu 1069 scripserat poeta *cuius e fastigio*; quae verba tam brevi intervallo repetere non apte potuit. huius vero iambi in quinta sede condicionis si novissimus editor Octaviae Franciscus Ritterus conscius fuisset, neque versu 780 Raphelengii coniecturam recepisset, *tectis miles excubat ducis* (quam qui tenet, cum Bothio sic verba traiciet, *excubat miles ducis*), neque v. 447 *consili reor* scripsisset, ubi diducta forma *consilii* necessario servanda est. eadem denique est dactyli in quinta sede raritas. qui pes quater fit vocabulis quae proceleusmatici vel quarti paeonis mensuram habent senariorum finem tenentibus, Herc. 408 Oedip. 874 Med. 268 266 *omnis mémoria*, *anceps mémoria*, *famae mémoriast*, *machinatrix fácinorum*.

His autem quae de senariorum arte in pedibus metricis conspicua exposui, iam addendum illud est, quod Seneca, cum longarum solutionem syllabarum paullo saepius sibi indulsisset quam quae in multis rebus eius norma erat Graecorum recentior tragoedia, idem tamen in copulandis pedibus trisyllabis summa opera curavit, ne quando anapaestus cum praecedenti sive tribracho sive dactylo cohaereret. cui regulae qui obstare videatur versus nullus est praeter Thyestis 1052 *Sceleri modus debetur ubi facias scelus*. atque haec causa fuit cur supra, cum de synizesi disputabam, *facias* illo versu

Digitized by Google

duabus syllabis longis dictum esse contenderem. cuius quidem opinionis tamquam patronum Lachmannum habeo, qui in comm. Lucret. p. 130 inter exempla quibus *i* litteram pinguiorem factam esse ante vocalem natura longam doceret, illum quoque Senecae versum rettulit, *facias* spondeum esse dixit. quod verbum cur anapaestum facere nequeat quamquam non adiecit vir summus: quo tamen alio argumento niti potuit?

Iam ut tota horum trimetrorum ars plene cognoscatur, quae de legibus caesurae observavi adferam, sed quam potero brevissime, cum multa videam a Langio in quaest. metr. p. 26 occupata esse. legitima igitur in Senecae quoque senariis caesura semiquinaria est. saepe autem et haec et semiseptenaria in eodem versu coniunctae reperiuntur: quarum utra gravior sit, ex orationis contextu fere intellegitur. neque raro semiseptenaria ita praevalet, altera ut podicae tantum modo caesurae vicem obtineat, veluti Herc 433 *Imperia dura tolle, quid virtus erit?* perraro autem haec caesurarum ratio eo disturbatur quod proximus post semiquinariam locus vocem monosyllabam recipit constructionis vinculo cum praegressis vocabulis coniunctam. cuius licentiae nunc unum mihi exemplum promptum est in Phoen. 213 *quidquid potest Auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abstulit*, cui versui aliquid excusationis ab antithetis paratum sentio. nam in Herc. alt. 47 libri variant. ab elisione autem paullo plus veniae habet Phaedr. 668 *Respersa labe nulla et intacta*, vel potius *Respersa nulla labe*, quam verborum transpositionem supra commendavimus. cuius exempli simillimum alterum est in Thy. 674. neque vero saepius hoc admisisse videtur poetae ars, ut semiquinariae ad caesuram podicam de-

Digitized by Google

pressae locum ea caesura teneret quae post secundam arsin fit. cuius rei singulare exemplum in Phoen. 403 est, *Perge, o parens, et concita celerem gradum.* sed hoc versu multo minus offensionis tales senarii habent, in quibus ipsa semiquinaria caesurae principalis munere fungeretur nisi elisione paullum obscurata esset, Med. 18 *Letumque socero et regiae stirpi date*, item Oedip. 1059 Agam. 125 889 Herc. alt. 461. verum cum etiam haec licentia, id quod ostendit exemplorum raritas, parum grata poetae visa sit, eam sicubi ne a libris quidem satis praesidii habet, haud dubitanter removebimus. veluti in Herc. alt. 931 vulgo legunt, *Sed saepe donum in pluribus veniae fuit;* quae est mira insuper neque ullo modo perspicua verborum conformatio. sed Florentino abest *in* praepositio. itaque lubens cum Bothio amplector quod Hugo Grotius eleganter et ad sententiam poetae adcommodate scripserat, *Sed saepe donum. pluribus venia obfuit.* porro qui trimetri prorsus carent semiquinaria, hi non unam, sed duas adsciverunt caesuras vicarias, alteram semiseptenariam, alteram eam quae post secundam arsin est. cui observationi duo potissimum versus adversantur, Phaedr. 1221 *Exitia machinatus insolita, effera*, et Agam. 754 *Victamque victricemque*, qui cum semiquinaria destituti sint, vicariam solam semiseptenariam habent. etenim quoniam caesura, ut recte iam Langius intellexit, dici non potest prorsus neglecta esse, si fit in commissura verbi compositi, hinc novem senariis amplior excusatio parata est, Phoen. 482 *Dum frater exarmatur, armatus mane*, item eiusdem fabulae versibus 193 223 512 519, Phaedrae 402, Herc. alterius 1741, Octaviae 482 et 529, qui etsi omnes principalis loco caesurae

Digitized by Google

semiseptenariam habent, tamen etiam post secundam arsin podicam quandam caesuram servant. similisque ratio duobus aliis senariis adhibenda est, Phoen. 76 *Si moreris, antecedo,* et Octav. 731 *Crispinus, intermissa*, quibus praeter semiseptenariam praesto est podicae caesurae vicem tenens ipsa semiquinaria.

Senariorum autem iambicorum artem qua ratione septenarii trochaici secuti sint, et supra cum de accentibus disserebam adparuit et ex eis intellegetur quae de hoc versuum genere dicenda restant. uti igitur in sedes pares senariorum nullus pes intravit nisi iambus et tribrachus, ita inparibus locis septenarii trochaeum et tribrachum solos probaverunt; quorum pedum cum primo tertio quinto loco promiscuus usus sit, septimus unum trochaeum recipit. deinde quem ad modum in quinta sede senarii iambum, ita hic in sexta trochaeum poeta fugit. incisio autem constanter post quartum trochaeum facta accurate respondet trimetrorum caesurae semiquinariae. sed reliqua mitto: quae ad certas leges revocari vetat horum versuum in Senecae tragoediis raritas. Medeae autem versui 746, qui corruptus e libris prodiit, quaenam medela adhibenda sit nescio. neque cuiquam editorum feliciter cessit eius emendandi negotium.

VIII

Senariorum igitur septenariorumque arte explanata ad metra lyrica disputando progredior. sed non tangam levissima omnia. veluti qui praeter trimetros in his tragoediis interdum occurrunt versus iambici, dimetri qui-

Digitized by Google

dem et acatalecti et catalectici, hi pereleganter elaborati sunt, sed nihil fere praebent quod disputationi aptum sit. nisi quod Bothii quaedam libido hic reprehendenda est. qui in illo carmine cuius a Medeae versu 849 initium est, versus Anacreonteos a tam gravi tristique argumento abhorrere ratus reponendos esse asynartetos putavit e binis Anacreonteis conpositos, qui non numquam interrumperentur brevioribus versibus. hac enim mutatione ne effecisse quidem Bothius dici potest quod voluit, ut maiore scilicet cum pondere hi versus incederent. qui asynarteti fiant licet, Anacreontei metri naturam nihilo minus conservant. sed hoc recte sane Bothius fecit, quod versu 865 *sic* delevit, quae vocula plane absurde illic posita dubium esse non potest quin ab homine clausularum ignaro inlata sit, praesertim cum eam et a codice Moguntino (una cum non nullis veteribus inpressis) et ab aliquot Palatinis abesse Delrionis et Gruteri testimoniis constet. idemque Bothius eundem Moguntinum veteresque editiones secutus nescio an recte scripserit v. 857 *Quis credat exulem?*, et v. 878 *Dux noctis Hesperus*. verum quod antea diximus, in similem mutationem cadit, quam Agamemnonis carmini a versu 759 incipienti Bothius adhibuit. ubi cum dimetri iambici acatalecti legerentur, eadem ille qua supra causa adductus iterum binis versiculis in unum contractis tetrametros fecit. quod fieri non potuit nisi ita, ut medio versui 760 syllabam ancipitem inmitteret.

Ad tetrametrum dactylicum acatalectum transimus. quem in tragicis choris iunxisse saepe Annaeum Senecam et antea Pomponium Secundum Terentianus Mau-

Digitized by Google

rus dicit p. 2430 P.*). verum in Senecae quidem tragoediis hoc versuum genus non tam frequens est quam ex verbis illius grammatici colligas. sunt autem in his tetrametris dactylus et spondeus ita positi, ut, cum in ceteris sedibus utriusque pedis promiscuus usus sit, in fine solus dactylus admittatur. nec desunt versus qui, si ultimum pedem exceperis, e spondeis toti constent, veluti Herc. alt. 1946 et 1949. iam utrum systemata faciant hi versus necne, quaeri potest. certe in undeviginti eis quos Hercules alter praebet (inde a v. 1944), studuisse Seneca videtur Graecorum ingressus vestigiis, ut una numeri esset usque ad finem perpetuitas. nam et syllabam ancipitem a singulorum versuum exitu semper exclusit nec hiatui locum concessit nisi uno versu 1953, ubi finita sententia satis excusationis adfert. idemque de tribus illis versibus dicendum est qui in Phaedrâ inveniuntur (761 sq.). at qui Oedipi carmini cuius a versu 403 initium est inserti sunt, horum versuum, ut iam Bothius animadvertit, sex sunt, in quorum fine creticus eo efficiatur, quod ultimum tetrametri vocabulum consonante littera terminatum in proximo tetrametro vox a consonante incipiens excipit, 453 454 455 460 462 464; duoque praeterea qui hiatum admiserint, 451 et 456. quamquam neutram licentiam in media sententia usquam fieri fatendum est.

Sequitur ut de versibus anapaesticis dicatur. quorum celeberrimum genus, dimetri intermixtis non numquam eiusdem metri monometris variati in Senecae

*) Hic Terentiani locus ad quaestionem quae de auctore harum tragoediarum instituta est multum momenti habet. sed in tractando eo mire erravit Welckerus in trag. Graecis secundum cyclum ep. dispositis, t. III p. 1447.

Digitized by Google

trogoediis soli inveniuntur. verum in ordinandis his versibus quam poeta rationem secutus sit, non satis certum est. etenim quam libri sive, ut rectius loquar, vulgares editiones (nam de illis parum constat) eorum dispositionem praebent, ea saepe tam prava est tamque aperte toti numeri anapaestici naturae repugnat, ut credi nullo modo possit ab ipso poeta profecta esse. quem cum artis metricae ceteroqui peritissimum deprehendamus, num solius metri anapaestici adeo ignarum fuisse aut adeo omnino neglegentem putabimus, ut mediis in versibus non modo ab hiatu non abhorreret, verum etiam trochaeo et tribracho locum concederet? hoc igitur incommodum cum iam alii intellexissent quo modo tollendum esset, re vera Bothius ita sustulit, ut intericiendis, ubi sententiae pausa id postulare videretur, singulis monometris et hiatum et tribrachum trochaeumque a mediis versibus remotos in extremos relegaret. sed paullo maiorem huic rei curam Bothius adhibere debuit. qui tres in Phaedra versus quorum secundae sedi vel tribrachus vel trochaeus inmissus est, 30 43 327, illa ratione non mutavit, silentio praeteriit. at horum quoque versuum singulae dipodiae distrahendae erant. in non nullis autem versibus quos idem vitium deformabat aliter vel disponendis vel legendis etiam Florentino libro adiuvamur, velut Agam. 59 et Herc. alt. 1875. quos ex optimi codicis memoria recte a Bothio restitutos video. existit autem hoc loco alia eaque subdifficilis quaestio, num eius legis quam a Graecis servatam esse Richardus Bentleius primus egregie observavit, ut versus anapaestici excluso a singulorum fine et hiatu et syllaba ancipiti perpetuo tenore tamquam unus versus essent decurrerent, huius, inquam,

Digitized by Google

legis num conscius fuisse Seneca putandus sit. sed ab hac quaestione, quam habituri iam sumus, recte eos versus excludimus, in quorum exitu una cum hiatu sive syllaba ancipiti coniunctus est finis sententiae vel personae mutatio: quibus quidem condicionibus etiam Graecos utramque interdum licentiam sibi sumpsisse notum est. neque quicquam in Senecae quidem versibus anapaesticis inpedit quo minus, quotiens illud fit, finiri systema statuamus. etenim, ut iam Bentleius animadvertit in epistula ad Joannem Millium data, p. 474 ed. Lips., versui paroemiaco, quo Graecos ad claudenda legitima anapaestorum systemata usos esse scimus, in his tragoediis nullus usquam locus est. eodemque versu et philosophum Senecam, qui dignitatem tragicam ridicule imitatus est in ludo de morte Claudii c. XII, et Claudianum in Fescenninis (p. 278 editionis alterius Nicolai Heinsii) se abstinuisse invenio. quod ut nequit dubitari quin consulto factum sit, cum veteres Romanorum tragici, ut ex eorum reliquiis intellegitur, illa catalexi eodem quo Graeci modo usi sint: ita cur factum sit parum perspicio. neque enim ita ratiocinari licet, ut versum illum catalecticum una cum perpetuitate numeri a Seneca spretum esse dicamus. his igitur praemissis ad enumeranda hiatus in media sententia admissi exempla nos convertimus. atque is quidem hiatus qui fit voce in vocalem desinente ante vocem incipientem a vocali, in hisce versibus extremis locum habet, Herc. 1109 Thy. 849 948 Phaedr. 342 Oedip. 178 Tro. 73 Med. 306 Agam. 68 323 Herc. alt. 222 598 1924 Octav. 17 22 206 374 686 897. addendum est praeterea unum hiatus exemplum a medio versu in extremum recte a Bothio retractum in Med. 342. eius autem

Digitized by Google

hiatus qui in syllabis littera *m* terminatis fit rariora exempla sunt, Agam. 377 Herc. alt. 1989 Octav. 336 362 975. nam Med. 373 recte Bothius fecit quod *Araxen* scripsit. ab horum autem societate unum versum qui est in Hercule 162, sciens exclusi, quippe quem interpolatum esse mihi quidem persuasum sit. quod ut adprobem simulque coniecturam quandam quae mihi emendatio videtur proferam, totum locum paullo accuratius examinabo. is igitur vulgo ita sese habet, *Haec* (scilicet, agunt) *innocuae quibus est vitae Tranquilla quies et laeta suo Parvoque domus, spes et in agris. Turbine magno spes sollicitae Urbibus errant trepidique metus.* quem locum vitio laborare statim adparet, cum nudae *spei* notioni nullo modo opponi possint *spes sollicitae* cumque omnino ingratissima sit huius vocis repetitio. iam vero libros consulamus: ex eis Florentinus et Melisseus non *spes et in agris* habent, sed *spes iam magnis;* cuius lectionis simillima in uno Palatinorum a Grutero versatorum itemque in uno e Badeni libris adparet, *spes in magnis.* in Moguntino autem corrupte legitur, *iam spes in agris.* deinde qui sequitur versus in editionibus, *Turbine magno spes sollicitae*, is in Florentino et, ut Gruterus testatur, in aliquot Palatinis prorsus defit, in Melisseo initio chori, quem ad modum Lipsius dicit, male attextus est. quocirca hunc versum subditicium iudicare non dubito. quem probabiliter J. F. Gronovius suspicatus est ad explendam sententiam primum eis libris adiectum esse, in quibus quod praecedit chori, aut plane omissum aut miro quodam modo transpositum est. non nulli enim libri Palatini, et quidem, si Commelino et Grutero credimus, meliores, priorem huius chori partem (a versu

Digitized by Google

125 usque ad 162) nullam habent, idemque in Moguntino totus quidem extat, sed alio et prorsus turbato ordine. iam recte inducto illo versu supposito J. F. Gronovius ita scribendum et distinguendum putavit, *laeta suo Parvoque domus. Spes in magnis Urbibus errant trepidique metus.* sed ne sic quidem hunc locum persanatum existimo. primum enim frigidius profecto est illud absolute positum *spes*, si id spectas quod sequitur, *trepidi metus*: accedit quod ipsa spes per se nemini potest vitio verti nec minus ea ruri (vide versum 156) quam in urbibus cernitur. deinde parum aptum est *magnis* ad *Urbibus* additum, quoniam vitae rusticae beatitudo et tranquillitas praecedentibus versibus descripta non turbulentae in magnis urbibus vitae, sed omnino urbanae vitae opponitur. quapropter veram poetae manum ego puto hanc fuisse, *Spes inmanes urbibus errant Trepidique metus.*

Reiecto igitur uno hiatus exemplo cui nulla fides erat, ad syllabam ancipitem, quam paullo plus illo offensionis habere adparet, disputatione progredimur. eam igitur in fine omnium eorum versuum adesse statuo, qui vel in trochaeum pro spondeo vel pro anapaesto in tribrachum exeant. nam cretico nullus in his tragoediis versus anapaesticus terminatus est, quia, ut postea videbimus, ne dactylo quidem. quod enim Octav. 289 in editionibus quibusdam legitur, *cuius prodimus Stirpem saevo suadente metu*, hoc vitium Petrus Scriverius, ut aliud vitium tolleret, intulit. libri enim de quibus constat omnes verba sic transposita habent, *cuius stirpem Prodimus.* quod ipsum ferri nequit, cum quae sequitur vox a consonante littera incipiat. huic autem difficultati quo modo subveniendum sit neque ipse video neque

Digitized by Google

vidisse editores arbitror, in quorum coniecturas refellendas operam inpendere nolo. sed omnium pessime Ritterus hic rem egisse mihi videtur, qui Commelini opinionem amplexus abiecta *s* littera finali *Prodimu' saevo* scripsit, qualis formae post tempora Catulli nusquam nec vola nec vestigium adparet. verum Rittero volupe videtur fuisse quamlibet insolentiam Octaviae scriptori obtrudere. qui cum versu 262 *illo* corruptum esse videret, „fortasse", inquit, „fuit *illico* correpta prima sylllaba." quod vocabulum nunc scimus ne a Plauto quidem ita elatum esse. sed ut ad propositum revertamur, enumerandi nunc ei versus sunt qui syllabam ancipitem in fine habent sive quod idem esse vidimus. vel in tribrachum vel in trochaeum desinunt. et tribrachum quidem in media sententia observavi equidem in Troasin 724 et in Octavia 204. sed adiciendi his duo alii versus sunt, Thy. 832 et Octav. 67, ista quam supra exposui ratione recte a Bothio conpositi. multo saepius trochaeus ita positus est, Herc. 170 Tro. 707 Med. 344 Agam. 85 104 356 380 Herc. alt. 181 594 678 1211 (ubi e Florentino scribendum *gigantis*) 1281 1877 Octav. 27 29 (nisi reponendum est *dederunt*) 62 93 306 331 655 768 776 809 899 955 978. in hunc numerum veniunt praeterea quinque exempla illorum versuum, e quorum mediis locis trochaeum removendum esse supra diximus, Phaedr. 327 Tro. 135 Octav. 320 890 965. ad idem deinde genus paucissimi ei versus pertinent, in quorum fine brevis syllaba cum hiatu coniuncta est, quam licentiam omnium plurimum offensionis habere apertum est. quae cum in ceteris fabulis ne ita quidem admissa sit, ut veniam a finita sententia haberet, in Agam. 79 et in Octav. 936 in me-

Digitized by Google

dia oratione probata est. eademque in eisdem fabulis aliquotiens ita conparet, ut propter orationis institionem defendi possit, in Agam. 646 (ubi tamen nescio an Bothio obtemperandum sit verba sic transponenti, *Unus tota vultus in urbe est*), et in Octav. 18 et 334. rursus autem, ut supra cum hiatus exempla enumerabam, ita in hac quoque de trochaeo expositione unum exemplum consulto praeterii quod in Phaedra 13 est. alio enim loco ponit hunc versum codex optimus. cuius vestigia secutus totum locum nequiquam ab editoribus temptatum felici emendatione restituit Mauricius Hauptius in novi musei Rhenani tomo I p. 473, hoc modo, *Ubi per graciles levis* (*lenis* peccatum typographi est) *Ilissos Labitur agros piger, et steriles Ubi Maeandros per inaequales Amne maligno radit arenas.*

Iam ut summam faciam, et hiatus et tribrachi trochaeique in media sententia admissorum certa exempla extare vidimus. verum ne his quidem adduci equidem possum, ut Senecam Graecorum illius legis prorsus aut expertem aut neglegentem fuisse credam. quam si ignorasset aut consulto non respexisset poeta, multo certe crebrius in tot versibus interrumperetur numeri perpetuitas. etenim, ut iam Bentleius rectissime commonuit in responso quo dissertationem suam de epistulis Phalaridis a censura Caroli Boylii vindicavit, p. 232 ed. Lips., in neolatinorum quidem ante ipsum carminibus anapaesticis, veluti Buchanani Scaligeri Grotii, ne decem quidem versus continuos invenies, quorum nullus sive hiatum sive syllabam ancipitem in fine receperit. itaque neque alia neque hoc tribuere casui possumus, quod in paucis carminibus integris, velut in Agamemnonis eo cuius a v. 664 initium est, quod ex

Digitized by Google

undetriginta dimetris anapaesticis constat, anapaesti vel pares anapaesto pedes sine ulla intermissione usque ad finem continuati sunt. nisi quod de Octavia, in qua fabula utramque licentiam omnium saepissime admissam esse vidimus, dubitari potest, utrum reliquarum artem fabularum parum accurate secuta sit an prorsus eam neglexerit. quamquam reputandum erit in hac praetexta, in qua soli senarii iambici et versus anapaestici in vicem sese excipiunt, horum maiorem numerum esse quam in reliquis fabulis singulis. restat ut philosophi Senecae et Claudiani versus anapaesticos, quos iam supra in contentionis iudicium vocavimus, opinioni nostrae favere dicamus. in Claudiani enim dimetris numero duodecim numquam non servata est perpetuitas numeri, in philosophi autem versibus, quos alii dimetros, monometros alii esse volunt, in media sententia hiatus semel locum habet.

Cetera quae de hoc versuum genere dicenda sunt conplecti brevius potero. igitur dactylum hic poeta, item ut Seneca philosophus et Claudianus, non modo a fine versuum, ut iam supra dixi, verum etiam ab eorum secunda sede constanter exclusit, ita ut nisi initio dipodiarum nusquam hic pes locum haberet: qualem legem neque Graeci tragici neque Romanorum veteres umquam secuti sunt. huic autem observationi e tanto versuum numero unus adversatur, Octaviae 779 *Aut quid pectore portat anhelo?*, qui tamen facillimo negotio ad regulam revocari potest hoc modo, *Aut pectore quid portat anhelo?* sed angustioribus etiam finibus dactyli in versibus anapaesticis usus circumscriptus est. Graecorum enim tragicorum vestigiis insistens semper fere curavit poeta, ne anapaestum dactylus antecederet,

Digitized by Google

cuius legis simillimam in trimetris iambicis a Seneca observatam esse supra exposuimus. haec autem lex primum bis aperte neglecta est in Octavia 646 *Parcite lacrimis*, et 904 *invidet etiam*. deinde non nulla huius licentiae exempla in Hercule altero occurrunt. et versus quidem 1883 *Flete Herculeos*, *Arcades*, *obitus*, ab adlocutione veniam habet. eademque excusatio versui 185 parata est, *me vel Sipylum Flebile saxum fingite*, *superi*, quae lectio e codicibus optimis, Florentino et Melisseo prodiit. correctorum enim est quod meliore quidem numero, at inepta sententia olim hic legebatur, *figat*, *superi*. sed versu 195 non possum Florentino adsentiri hanc lectionem praebenti, *Cypria lacrimas Myrrha tuetur*, quam alio insuper incommodo laborare supra ostendi. itaque hic certe non cunctor scripturam olim vulgatam reponere, quae haec erat, *Cyprias lacrimas Myrrha tuetur*. iam unus eius modi versus superest, 1887, *Magno Alciden poscite gemitu*, quem ad modum ipse iterum Florentinus hunc versum exhibet. vulgo enim ita sese verba excipiunt, *Poscite magno Alciden gemitu*, contra legem caesurae, quae constanter et sine omni exceptione in secunda arsi est. sed quoniam patet verborum ordinem turbatum esse, nihil, puto, inpedit quo minus ea traiciendi ratione utamur, quae neque caesuram neglegat et dactylum ab anapaesto seiungat, *Gemitu Alciden poscite magno*. malo enim credere vocis anapaesticae vocalem extremam hic a poeta obscuratam, quam dactyli cum anapaesto coniunctionem temere probatam esse. eadem vero licentia, quam in duabus fabulis Octavia et Hercule altero quattuor tantum exemplis certam videri vidimus, a reliquis fabulis omnibus plane abiudicanda est. nec quod opponi mihi possit

Digitized by Google

exemplum extat nisi unum in Herculis prioris versu 1064 *Solvite, superi.* sed hunc locum librariorum manu depravatum esse concludi potest e Florentino cui unus accedit e libris a Badeno inspectis, qui habent adversante metro *Solvite o superi.* quem quidem errorem ex hac ego lectione ortum puto, *Solvite tantis animum monstris Salvum, o superi! rectam in melius Flectite mentem!* in eiusdem autem fabulae v. 1105 *audiat atri Regina poli,* cum Florentinus et Moguntinus habeant contra versus legem *Regia poli*, cavendum est, ne verum esse putemus quod Badenus de Withofii coniectura, quem ad modum ipse neglegenter ait, in verborum ordinem recipere ausus est, *Regia populi.* etenim Withofius in praemetio p. 97 illud vitium insciens evitaverat scribendo *Regio populi.* atque hoc unum probari poterit, si quis omnino a lectione vulgata existimaverit recedendum esse. relicum est iam, ut conponendi dactyli rationem multo quidem liberiorem quam in senariis iambicis, at ne hic quidem nulla lege adstrictam esse dicam. qui pes quamquam saepissime ita fit, ut in media arsi vocabulum finiatur, tamen curari fere solet, ne e tribus omnino vocabulis constet. qualis dactyli unum exemplum novi in Thy. 833 *et mâre et ignes.* nam Herc. 161 falso legi *spes et in agris* antea demonstratum est. itemque in anapaestum rarissime terna vocabula admissa sunt, Thy. 827 *quidquid id est*, ibidem 963, deinde Herc. alt. 173 186 190 *At ego infelix*, *Vel in Eridani*, *vel in Edonas.* neque enim satis certum est ultimum exemplum in Herc. priore 1089 *sed ut ingenti*, quo loco cum desideretur conparationis membrum alterum, scribendum fortasse est quod iam

Digitized by Google

a Withofio p. 96 memoratum iterum Bothius proposuit, *velut ingenti.*

Venio ad versuum choriambicorum illud genus quod praemissa basi per binos choriambos in catalexin iambicam exit. in quo accuratissime Seneca Horatium secutus est, ut constanter et in basi spondeum poneret et in fine prioris choriambi caesuram faceret. huic formae duo versus sunt qui non omni ex parte conveniant. unus est Agamemnonis 591 *Effugium, et miseros libera mors vocet*, in cuius basin dactylus intravit, nisi forte *effugium* tribus syllabis producta media pronuntiandum est. alter, Oedipi 715, non pluribus is eiusdem metri versibus iunctus, sed sparsus inter diversos, prioris loco choriambi molossum recepit, *Ut primum magni natus Agenoris.* deinde clausula est in Tro. 401, e basi et uno choriambo conposita, de cuius ratione rectissime iudicavit iam Ascensius.

Transeundum est ad versus Glyconeos qui choriambicis adnumerari solent. horum Seneca usitatissimam formam usurpavit quae e basi et ordine logaoedico in arsin exeunte conposita est. perpetuando autem numero non studuisse videtur. etsi enim ab eis versibus qui sunt in Herc. 875 sqq. et in Med. 75 sqq. syllaba anceps semper exclusa est, in eisdem tamen hiatus conpluriens in media oratione locum habet; in reliquis autem eius generis carminibus frequens utrumque est. accedit quod versu Pherecrateo, quem Graeci Glyconeis in systemata coniunctis subicere solebant, Seneca non usus est nisi bis, in Agam. 636, ubi unus Glyconeus catalexin antecedit, et in Herc. alt. 1060. nam qui in eadem fabula et ipse versus catalectici speciem prae se fert, 1080 *Orpheus carmina fundens*, is quando pa-

Digitized by Google

rum apte in media sententia conlocatus est, vix dubitari potest quin ex integro Glyconeo corruptus sit: quod si verum est, tum J. F. Gronovii coniecturae qui putabat a poetae manu *funditans* prodisse, longe praeferendum erit quod Bentleius ad Horatii carm. I 15 15 scribendum esse suspicatus est, *Orpheus carmina dividens.* sed ut ad ipsos Glyconeos redeam, in conponendis eis non sibi constitisse Senecam memorabile est. qui cum in ceteris fabulis, in quibus hoc metrum usurpatur (vide Herc. 875 sqq., Thy. 336 sqq., Med. 75 sqq., Herc. alt. 1031 sqq.) hanc sibimet legem scripsisset scriptamque constanter tenuisset, ut in basin, quae apud Graecorum poetas scaenicos et omnes excepto pyrrhichio pedes bisyllabos et tribrachum recepit, solum spondeum admitteret, quo pede facile sentitur robustiorem numerum magisque masculum fieri: idem in Oedipi carmine cuius a versu 882 initium est, praeter duos versus 904 (neque enim dubium quin *fugit* temporis praesentis sit) et 908, in quibus adeo pyrrhichius locum habet, basi Glyconeorum semper trochaeum tribuit. ab eodemque pede duo alii Glyconei incipiunt, variis illi versuum generibus intermixti, Oedip. 711 et Agam. 848. denique duorum Glyconeorum basis e dactylo constat. unus est Agam. 635 *Et fremuit male subdolo.* alter Oedip. 729 est, *Caeruleum erexit caput,* ubi Bothius dactylum sustulit scribendo *Caerulum.* sed aut utrumque dactyli exemplum removendum est aut neutrum. illud autem de quo antea dicebamus Oedipi carmen alia praeterea re insigne est, quam notavit iam Godofredus Hermannus in Elem. d. m. p. 524 et in Epit. § 459. in maiore enim versuum parte contra Graecorum morem et ipsius Senecae consuetudinem pro

Digitized by Google

dactylo ordinis logaoedici spondeus positus est; eiusdemque naturae erat insuper quem supra laudavimus Oedipi versus 729. cuius modi Glyconei tardiores incessu multoque minus suaves sunt.

Progredimur ad hendecasyllabos Sapphicos. eos triplici ratione in tragoediis Senecae usurpatos esse observavit iam Hermannus in Elem. d. m. p. 685. et primum quidem genus eorum est qui Adonium vel in fine tantum subiectum habent, ut Thy. 546 sqq., Oedip. 416 sqq., Herc. alt. 1518 sqq., vel non solum in fine, sed etiam aliis eisque certis locis, veluti Med. 579 sqq., ubi primo inveniuntur septem strophae Sapphus consuetudine e ternis versibus longioribus et singulis Adoniis conpositae, deinde quinque strophae ex octonis maioribus singulisque Adoniis, denique septemdecim hendecasyllabi (nam v. 660 ex integro hendecasyllabo corruptus videtur) finiti uno Adonio. alterum genus eorum est quibus non numquam insertus reperitur Adonius, in fine autem non positus, cuius modi carmina sunt in Oedipo inde a v. 110, in Troasin a v. 814 et 1009. tertium genus Adonio prorsus caret, velut Herc. 830 sqq., Phaedr. 274 sqq. ut vero ipsam hendecasyllaborum artem explicem, inveni quam legem Horatius sibi scripserat, ut hos versus semper ab epitrito secundo inciperet, caesuram autem faceret in arsi dactyli, eam ita servatam esse a Seneca, ut numquam fere inde recederet. qui cum incisionem illam constanter in omnibus versibus tenendam sibi putaret, qua in re severior etiam Horatio fuit, paucissimis versibus hoc sibi indulsit, ut epitriti secundi partem posteriorem in dactylum solveret, Phaedr. 286 *Quaeque ad Hesperias iacet ora metas*, ibidem 288 *Si qua Parrhasiae glacialis ursae*,

Digitized by Google

Tro. 836 *An ferax varii lapidis Carystos*, et 1051 *Troia qua iacent regione monstrans*, Med. 636 *Sumere innumeras solitum figuras*, item Oedip. 413 477 Agam. 832. quibus versibus insolentiam dactyli pronuntiando paullulum obscurari posse intellego. sed nullo modo audiendi sunt qui *Hesperias* et *Parrhasiae* ternis syllabis longis elata esse dicant. quod quidem synizesis genus quoniam omnibus exemplis quibus dactylum pro spondeo positum vidimus, adhiberi nequit: illo eorum unam partem defensum ire quid attinet? his autem versibus, qui propter solutionem epitriti maiorem quandam volubilitatem habent, contrarii ad numerum paucissimi ei sunt, in quibus qui epitritum excipit dactylus contractus in spondeum est, Phaedr. 287 *Si qua ferventi subiecta Cancro est*, et qui variis versuum generibus intermixti sunt Agam. 617 *Vicit acceptis cum fulsit armis*, item 630 809 846 850. cumque his exemplis certa sit ea de qua dicimus licentia, non dubito tres alios versus huc referre, qui regulae repugnare vulgo non putantur, Tro. 824 *Misit infestos Troiae ruinis*, ibidem 853 *Dum luem tantam Troiae atque Achivis*, et antea 852 *Mittat, et donet cuicumque terrae.* quod ut faciam rationibus prosodiacis adducor, quas supra expositas repetere non opus est.

Paullo usitatiora in Senecae tragoediis metra omnia tractavimus. restat ut de quattuor carminibus Oedipi (v. 403 sqq. et 709 sqq.) et Agamemnonis (v. 589 sqq., 808 sqq.) dicatur, quae cum e diversis metrorum generibus multifariam conflata sint explicari nisi singillatim non possunt. horum vero carminum conpositio librariorum incuria multis locis pessime turbata atque confusa est, ut qua distribuendorum versuum ratione ipse poeta usus videatur, ante omnia quaerendum sit. quam

Digitized by Google

tamen rem quando plene perfecteque expedire nunc nequeo (quaedam enim difficultates ita sunt ut, priusquam novum a libris manu scriptis auxilium accesserit, vix videantur tolli posse), malo intactam relinquere. ceterum in ordinandis his versibus elaborarunt iam Georgus Fridericus Grotefendus in gramm. Latinae t. II p. 124 sqq. (usus sum editione anni 1816), et qui illum saepe tacitus secutus est Bothius. neque potest negari ab eis non paucos versus rudes atque inconditos ad concinnitatem revocatos esse. et Grotefendus quidem fere multo saniore describendi ratione usus est quam Bothius. qui insolentissima saepe durissimaque versuum asynartetorum genera confinxit, quae quo modo sibi persuaserit convenire cum poetae arte atque elegantia, non intellego. sed eadem Bothius libidine in Plauti comoediis versatus est, id quod merito castigavit Ritschelius in commentatione quam de crisi Plautina conscripsit, p. 568.

Digitized by Google

BERNARDI SCHMIDTII VITA

Natus sum Ienae a. d. III Kal. Febr. anni CIↃIↃCCCXXXVII patre Bernardo, pecuniarum publicarum custode, quem mors mihi eripuit quattuordecim annos nato, matre Ioanna e gente Sieglitziana, quae quod adhuc vivit deo gratias ago. fidei addictus sum evangelicae. puerulus sexennis deductus sum in scholam Heimburgii, quam brevi postea, cum Heimburgius vita decessisset, moderandam suscepit Volcmar Stoius. anno aetatis quinto decimo ad gymnasium Casimirianum quod Coburgi floret me contuli. cuius cum per triennium alumnus fuissem, gymnasium adii Vimariense, ubi praeceptorem fautoremque habui qui nunc Gottingae dignum sua doctrina locum obtinet Hermannum Sauppium. ab hoc gymnasio ineunte vere anni CIↃIↃCCCLVI examine rite instituto probatus in urbem patriam redii ibique per duos annos et dimidium philologiae operam dedi. deinde in universitatem litterarum Berolinensem migravi. quam tamen praeterlapsis sex mensibus reliqui, ut aestatem in academia Rhenana agerem. verum molestus oculorum morbus Ienae me retinuit. auctumno anni CIↃIↃCCCLVIIII iterum profectus Berolinum universitatis Fridericae Guilelmae usque ad hoc tempus civis fui. Ienae interfui scholis Apeltii quem inmatura nuper mors absumpsit, Droyseni Goettlingii

Digitized by Google